THEOLOGIA MORALIS
B. ALPHONSI MARIAE DE LIGORIO

EPISCOPI S. AGATHAE GOTHORUM

AC FUNDATORIS CONGREGATIONIS SS. REDEMPTORIS
IN INSTITUTIONES REDACTA

Ad usum studiosae juventutis ipsius praesertim Congregationis

A BLASIO PANZUTI

EJUSDEM CONGREGATIONIS PRESBYTERO:

Adjectis permultis qua ad dogmata, qua ad praxim qua ad eruditionem pertinentibus

VOLUMEN II.

Complectens tractatus de reliquis Decalogi, et Ecclesiae praeceptis; ac de obligationibus, sive ex professione diversorum statuum, sive ex aliis vicissitudinibus emergentibus.

NEAPOLI MDCCCXXIV.

EX TYPIS JOANNIS DE BONIS

Publica Auctoritate.

Labia Sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus. Malach. 5.

Sunt in nobis, qui timorem Dei habent, sed non secundum scientiam, statuentes duriora praecepta, quae non possit humana conditio sustinere. Timor in eo est, quia videntur sibi opus virtutis exigere. Sed inscientia in eo est, quia non compatiuntur naturae, nec aestimant possibilitatem.

S. Ambros. in Ps. 118. serm. 5.

CONSPECTUS

HUJUS SECUNDI VOLUMINIS

LIBER IV.

DE IV. DECALOGI PRAECAEPTO.

TRACTATUS V.

DE 5. DECALOGI PRAECEPTO.

TRACTATUS VI.

DE 6., ET 9. DECALOGI PRAECEPTO.

TRACTATUS VII.

DE 7., ET 10. DECALOGI PRAECEPTO.

TRACTATUS VIII.

DE 8. DECALOGI PRAECEPTO.

TRACTATUS IX.

DE PRAECEPTIS ECCLESIAE.

LIBER III.

DE OBLIGATIONIBUS, SIVE EX PROFESSIONE DIVERSORUM STATUUM, SIVE EX ALIIS VICISSITUDINIBUS EMERGENTIBUS.

TRACTATUS I.

DE STATU RELIGIOSO.

TRACTATUS II.

DE STATU CLERICALI.

TRACTATUS III.

DE STATU SAECULARI; SEU DE OBLIGATIONIBUS EX VARIIS OFFICIIS, AC VICISSITUDINIBUS SAECULARIBUS EMERGENTIBUS.

LIBER II.

TRACTATUS IV.

DE 4.° DECALOGI PRAECEPTO.

Quarto Decalogi praecepto dum filiis explicite praecipitur parentes honorare, his simul praecipitur implicite filiorum curam gerere. De utroque igitur agendum. Quo loco agendum quoque ducimus de obligationibus viri erga uxorem, nec non Pastorum spiritualium erga oves suas, dominorum erga famulos, ac praeceptorum erga discipulos, et vicissim. Breviter tamen de omnibus juxta institutionum rationem. Sit igitur

Caput I.

De obligationibus filiorum erga parentes, atque horum erga filios.

151. Tria debent filii parentibus, *amorem* scilicet, utpote a quibus vitam accepere; *reverentiam*, utpote repraesentantibus Dei ipsius, qui Pater est omnium, dignitatem; *obedientiam* denique, utpote a natura ipsa sibi praepositis: *Memento* (ita apud Eccli.), *quoniam nisi per illos natus non fuisses, et retribue illis, quomodo et illi tibi* (7.). Et: *Qui timet Dominum, honorat parentes, et quasi dominis serviet his, qui genuerunt se* (3.). Addit Apostolus: *Filii*,

obedite parentibus vestris in Domino, hoc enim justum est. (ad Eph. 6). Quibus lex civilis consonat L. *Liberio* ff. de lib. seq. parent. praest., ubi: *Filio semper honesta, et sancta Patris persona videri debet.*

152. Hinc *ob amorem*, quem illis debent prae aliis, graviter peccat filius, si parentes odio prosequatur, aut grave malum illis optet; ejusque peccatum duplicem habet malitiam, quam proinde poenitens peculiariter debet in Confessione explicare, contra charitatem nempe, et contra pietatem. Immo, etsi parentes interius diligat (si tamen verus is amor est), eos tamen exterius affligat, torvis oculis intueatur, vel alloquatur aspere; sicut etiam si in gravi necessitate spirituali, vel corporali iis non subveniat, nequit quoque a gravi excusari. *Ob reverentiam* illis debitam peccat graviter, si etiam leviter eos percutiat, vel manum ad percutiendum attollat; et quidem duplici peccato, contra justitiam scilicet, et contra pietatem. Sicut etiam si graviter eos contristet, etiamsi verba non sint graviter contumeliosa; si maledictis, contumeliis, aut conviciis eos afficiat; si eos pauperes despiciat, vel nolit agnoscere, praeterquam si ex justa causa exterius dissimulet sine contemptu; si in foro externo etiam de vero crimine parentes accuset, extra crimen haeresis, proditionis, vel conjurationis, cum non sit alius corrigendi modus. Maledicens autem Parenti, eumve subsannans in ejus absentia, etsi coram aliis, ad mortale non pertingit juxta B. Lig., nisi casu, quo id faceret coram aliis eo fine, ut illi deinde Parenti deferant, vel praesumendo, quod deferent (lib. 3. n. 334.).

Ob obedientiam denique, quam illis debet, peccat graviter negando eis obedientiam in re gravi ad regimen domus, vel bonos mores pertinente; si tamen, ait Lig., Parens praecepto expresso, et serio id mandaverit, non vero si tantum monuerit; utque addit Lugo, si Parens imperaverit, intendens obligare ad obediendum obedientia sibi debita: in rebus vero non gravibus peccat quoque graviter negando obedientiam iis serio imperantibus, si ordinarie id faciat ex contemptu, non vero si aliquando ex negligentia (lib. 3. n. 335.). Et quidem specialiter tenetur filius ad obediendum parentibus, cum nuptias velit inire; vult enim Scriptura, ut Pater filiam suam tradat *homini sensato* (Eccl. 7.). Quomodo autem huic tradet, si posset filia, inconsulto patre, ei nubere, quem velit? Caeterum tenetur quidem parentibus obedire nolentibus, ut determinatam personam ducat; non tenetur tamen iis obedire, si velint, ut puellam ducat, quae sit moribus male compositis, vel deformis, vel infirma, vel talis, quam ex naturali antipathia filius diligere non possit. Neque etiam iis obsequi tenetur circa electionem status, immo nec potest, cum ei de divina vocatione constat, religionem, vel clericatum profitendi: *quicumque enim eos* (ait D. Hier.) *supra Christum amat, perdit animam suam* (ep. ad Heliod.); eosque supra Christum amat, qui ne displiceat iisdem, Divinam vocationem abjicit. Excipiendum tamen, si parentes in gravi necessitate constituti ejus ope indigeant in saeculo, nec aliter juvari possint, ut diximus quoque l. 2. n. 74.

153. Parentes vicissim tenentur liberis alimenta

praebere ; et quidem mater eos alere usque ad tertium annum, ultra quem tenetur Pater, nisi hic sit pauper, et illa dives. Hinc graviter peccant, prolem hospitali ,' vel locis publicis exponendo absque justa causa , pro qua probabiliter sufficit ex Lig. , quod proles sit illegitima (l. 3. n. 336., et 656.): sicut etiam non providendo de eorum victu, et vestitu, ac filiarum dote , utque artem aliquam honestam addiscant, vel vacent studiis juxta eorum conditionem. Proli autem spuriae etiam debet alimenta ; sed ex dicendis suo loco non potest ultra congruam sustentationem illi aliud relinquere in haereditatem , prohibentibus id legibus, ne filii legitimi laedantur. Graviter quoque peccant, si bona sua dilapident, nec ea curent acquirere, quibus filii ali possint , et congruam haereditatem habere ; debent enim futuris quoque eorum necessitatibus providere , juxta illud Ap: *Non debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis* (2. ad Cor. 12.). An autem pater teneatur dotare filiam contra ejus voluntatem nuptam? Affirmandum, si nupta sit major 25 annis. Si vero minor, probabilius tenetur tantum ad alimenta , si iis egeat ; idque etsi nupserit indigno. (Ita Lig. l. 3. n. 337.).

154. Multo magis tamen ad eorum institutionem tenentur: debent enim sub gravi peccato curare, ut per se , vel per alios in rebus ad fidem , ac mores necessariis instruantur ; ut bonis moribus imbuantur, ut pravorum consortia vitent, ut Sacramenta Ecclesiae frequentent , atque in his omnibus , aliisque , quae virum Christianum decent, iis exemplo esse, cum filii magis exemplis, quam institutionibus formentur.

Praecipue autem curare debent, *ut sexus foemineus* (quemadmodum ait D. Hieron.) *sexui suo jungatur, ac nesciat puella, immo timeat cum pueris ludere*: nec umquam patiantur, ut in conjugali lecto quiescant, cum quinque annos attigerint, vel frater cum sorore recumbat, ne a teneris unguibus discant, quae ignorare optimum, scire pessimum. Cum autem eos delinquentes viderint, gravi peccato obstringuntur, si eos non corrigant; ac meminisse tunc debent verborum illorum: *Qui parcit virgae, odit filium suum: qui autem diligit illum, instanter erudit* (Prov. 13.). Nec non Heli, de quo legitur: *Eo quod noverit indigne agere filios suos, et non corripuerit eos, idcirco juravi domui Heli, quod non expietur iniquitas domus ejus victimis, et muneribus usque in aeternum* (1.Reg.3). Immoderatis tamen verberibus eos punire idem esset ac animum eorum obruere; unde etiam Ap: ad Coloss. *Patres* (ait), *nolite ad indignationem provocare filios vestros, ne pusillo animo fiant* (3). Deficientibus denique parentibus, ad omnia, de quibus dictum est, tenentur, qui sint iis loco parentum, ut Avus etc. Immo notandum cum Lig., quemvis in utroque foro teneri, si possit, alimenta, et dotes praestare fratribus, vel sororibus in eorum non solum extrema, sed etiam gravi necessitate. Ac doctrinam hanc extendunt DD. ad fratres etiam ex eodem patre natos, licet ex diversa matre, nam isti, ut utrinque conjuncti, in jure reputantur, ex L. *Cum plures §. cum tutor ff. de administratione tutorum.* Si vero fratres, sicut et sorores sint tantum uterini ex parte matris, tunc adest quidem obligatio eos alendi, sed non sorores dotandi (l. 3. n. 340.).

Caput II.

De mutuis obligationibus Conjugum; nec non Pastorum spiritualium erga oves suas, dominorum erga famulos, ac praeceptorum erga discipulos, et vicissim.

155. Et 1.° ut ab obligationibus conjugum auspicemur, sunt hae, quod 1.° ad mutuum, sanctum, ac specialem amorem obligantur; juxta illud Ap. ad Eph. *Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus Ecclesiam* (5.): Christus autem sancto, ac speciali amore Ecclesiam dilexit. Quodque hic de viris dicitur, de uxoribus etiam est dicendum, quibus aeque praecipitur in ep. ad Titum, *ut viros suos ament* (2). 2.° obligantur ad secum cohabitandum quoad domum, et thorum, nisi legitima causa excuset; juxta illud Christi: *Dimittet homo patrem, et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una* (Matth. 19.); quod sine praedicta cohabitatione fieri nequit. 3.° obligantur ad praebendum alter alteri alimenta; ut enim dicitur loco superius citato ex Matth., *non sunt duo, sed una caro* (19). *Nemo* autem (ut subdit Ap: ad Eph.) *umquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, et fovet eam* (5): ex quo sequitur, quod alter conjugum alterum nutrire debet. Demum obligatur mulier, ut viro sit subdita, juxta Dei praeceptum Hevae factum: *Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui* (Gen. 3.): utque addit Ap., quia *non vir ex muliere est, sed*

mulier ex viro (Ad Rom. 11.): quare illi auxiliari et debet in familiae regimine: *Etenim* (ut idem Apost. ait) *non est creatus vir propter mulierem , sed mulier propter virum* (ibid.). Praeclare etiam hac super re Genuensis: *Non può dubitarsi , che le nozze sieno un patto di perfetta società, ed amicizia : ma anche nelle amicizie , e nelle più strette società vi può aver de' superiori , e degl' inferiori , perchè il detto antico :* Amicitia pares aut accipit , aut facit , *non può togliere il dritto di prerògativa , che per natura , o patto conviene ad uno degli amici. Quindi essendo ordinariamente la donna , così quanto al corpo , che quanto all' animo assai più debole , che non è il maschio , vien con ciò ad essere naturalmente sotto al governo dell' uomo , perchè nelle picciole società la legge di natura concede imperio sempre al più forte , ed al più savio ; e nell' istesse bestie sen veggono le traccie , come nel toro tra le vacche etc.* (Diceosina).

156. Quibus praejactis: *Ob mutuum amorem* , quem sibi debent, graviter speciali peccato peccat conjux, qui alterum odio habeat , vel ei grave malum optet: qui maledictis , contumeliis , ac probris alterum graviter contristet: vir, qui impediat uxori , ut praecepta Ecclesiae adimpleat , immo et peccat, saltem venialiter, impediens illi, ut Sacramenta frequentet, sine gravi causa: vir demum , qui uxorem, et a fortiori uxor , quae virum graviter percutiat , potest enim vir ex gravi causa uxorem moderate caedere , habita ratione conditionis , et status. *Ob debitum cohabitandi* , etsi liceat viro a domo recedere ad breve tempus , immo et diu abesse , si id exigat res familiaris , sine licentia uxó-

ris, non tamen vice versa: cumque *sint una caro*, *non debet alter sine altero* (nisi de ejus consensu) *esse diutius* ex c. 1. *de conjung. lepros.* Graviter quoque uxor peccat, quae nolit sequi virum domicilium mutantem, dummodo possit sine vitae, ac salutis periculo, et contrarium non sint pacti.; probabilius enim juxta Lig. valet pactum non mutandi domicilium, nolente uxore, nisi nova, et gravis causa superveniat (lib. 3. n. 353.). An autem teneatur sequi virum in exilium, probabilius censet B. Lig., quod teneatur illum sequi, ejusque infortunium subire: aliis tamen negantibus, utpote onus gravissimum, quod nemo absque praecedenti pacto sibi censetur imposuisse (ibid.). *Ob alimenta*, quae sibi debent, graviter peccat vir, qui vel uxori illa neget, cum habeat; vel non adhibet saltem mediocrem diligentiam, ut illa ei procuret juxta ejusdem conditionem. Excipiendum tamen, si illa vel a marito discesserit absque sufficienti causa, vel adulteraverit: quo posito, nequit quidem mulieris adulterae dotem sibi retinere auctoritate propria, potest tamen, ut probabilius docet B. Lig., uxori dotem repetenti exceptionem adulterii opponere, et petere, ut sibi applicetur (l. 3. n. 356.). An autem viro mortuo, teneatur mulier ex bonis dotalibus solvere debita a marito contracta ad alendam familiam? Affirmant aliqui, cum id fuerit in ipsius etiam utilitatem. Negandum tamen censet idem Lig., saltem probabilius, nisi vir contraxerit debita uxoris nomine, vel ipsa sciente; vel protestatus fuisset, nolle, istante sua inopia, gratis alere uxorem: secus enim quamnam actionem potest creditor prae-

tendere in uxorem, cui si vir ex mutuo accepto alimenta praebuit, fecit, quod debuerat (l. 3. n. 354.)? Ob ultimum demum peccat uxor, si domus administrationem sibi arroget, contradicente marito, nisi hic ineptus esset, vel incurius: sicut etiam, si ei non obediat in iis, quae ad familiae regimen spectant, nec suam conditionem dedeceant. Reliqua, ubi de furto, ac de Matrimonio.

157. Ad obligationem igitur progredientes Pastorum Spiritualium erga oves suas, debent hi, ut ait D. Bernardus, gregem suum pascere *exemplo conversationis*, *verbo praedicationis*, *et fructu orationis*. Et 1.° *exemplo conversationis*, juxta illud Ap: ad Tim.: *Exemplum esto fidelium in verbo*, *in conversatione*, *in charitate*, *in fide*, *in castitate* (ep. 1. c. 4.). Et ad Tit.: *In omnibus teipsum praebe exemplum bonorum operum*, *in doctrina*, *in integritate*, *in gravitate* (2.). Hinc diximus l. 2. n. 70, quod graviter peccantes coram ovibus suis, gravi, ac speciali scandali peccato obstringuntur. *Verbo praedicationis*, juxta illud Ezech. *Si non fueris locutus*, *ut se custodiat impius a via sua*, *ipse impius in iniquitate sua morietur*, *sanguinem autem ejus de manu tua requiram* (33.). Et Ap: ad Tim.: *Praedica verbum* (ajebat), *insta opportune*, *importune*, *argue*, *obsecra*, *increpa* (Ep. 2. c. 4.). Hinc declaravit Trid:, *omnes Episcopos*, *et Praelatos*, *vel alias curam animarum habentes*, *teneri per se*, *vel alios idoneos*, *si legitime impediti fuerint*, *diebus saltem Dominicis*, *et festis solemnibus plebes sibi commissas pascere salutaribus verbis*, *docendo ea*, *quae*

scire omnibus necessarium est ad salutem, annunciandoque eis cum brevitate, et facilitate sermonis vitia, quae eos declinare, et virtutes, quas sectari oporteat (sess 5. c. 2. de Ref.) Qua super re adhaeret B. Lig. Salm., quod Parochi omittentes per integrum mensem continuum, vel per tres menses discontinuos in anno praedicationis munus, graviter peccent (l. 3. n. 268). Utque Trid. praecepit l. cit., cum *moniti trium mensium spatio muneri suo defuerint*, per censuras etc. cogantur, ut officium suum impleant. Quoad Episcopos vero affert idem Lig. sententiam Sporer, quod regulariter juxta consuetudinem non tenentur per se praedicare, et Sacramenta ministrare, sed personaliter invigilare, ut per alios id praestent. Dictum tamen est *regulariter*, nam puto (subdit), saltem aliquando Episcopos teneri ad concionandum, cum teneantur de jure Divino, ut Trid. declaravit, oves suas verbi Divini praedicatione pascere (l. 4. n. 127.). *Et fructu orationis*, juxta illud Joel: *Inter vestibulum, et Altare plorabunt Sacerdotes Ministri Domini, et dicent: Parce, Domine, parce populo tuo* (2.). Potissimum igitur Pastores. Ita proinde Samuel ad populum: *Absit a me hoc peccatum in Dominum, ut cessem orare pro vobis* (1. Reg. 12.). Ad quod apposite etiam Ap.: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur . . . ut offerat dona et sacrificia pro peccatis* (Ad Heb. 5.). Hinc sollicite ab iis attendendum ad devotam Horarum recitationem: cui debent superraddere et orationes privatas pro salute suarum ovium, et celebrationem Missae pro eisdem in cunctis Dominicis, et fe-

stis de praecepto, etsi aliunde populus operibus servilibus vacare possit, ut declaravit Ben. XIV. Encycl. *Cum semper*; addens quemcumque Parochum, sive habentem, sive non congruos redditus, ad id teneri: nec satisfacere applicando pro populo Missam conventualem, cum haec absolute applicanda sit pro benefactoribus cujusque Ecclesiae. Sicut etiam, quod etsi concessum sit alicui Parocho applicare Missam pro eleemosynam praebente in diebus festis, si aliter vivere nequeat, debet tamen in aliis diebus ferialibus Missas pro populo omissas supplere, quin in diebus vel festis, vel ferialibus pro iis accipiat stipendium: ac demum quod Oeconomis curatis assignet Episcopus congruam portionem fructuum, ut pariter possint diebus festis pro populo celebrare. Ob reductionem autem festorum factam a Pio VII. pro utriusque Siciliae Regno, declaravit S. C. *in Aquilana* sub die 18. Octob. 1818., quod in festis sublatis, in quibus prius aderat praeceptum audiendi Sacrum, etiamnum Parochus tenetur ad applicandam Missam pro populo eodem prorsus modo, quo tenebatur ante Indultum abrogationis Festorum, utpote quod editum tantum in populi commodum. Quod autem dicitur de Parocho, fortius (ait Lig.) dicendum de Episcopis, utpote qui principaliores Animarum Pastores; ideoque et ipsi tenentur in Dominicis, et Festis de praecepto Missam celebrare, et applicare pro populo: atque idem docet omnino tenendum, tam si Parochus, quam si Episcopus non possint ob infirmitatem celebrare pro populo per seipsos, tenentur celebrare per alium, cum sit

haec obligatio et personalis, quia si potest celebrare per seipsum, nequit celebrare per alium, et simul realis, quia muneri Pastorali annexa ex Trid. sess. 23. cap. 1., quod *praecepto Divino mandatum est omnibus, quibus Animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique Divini praedicatione etc.* Ex quo sequitur, quod sicut Pastor impeditus vel praedicare, vel Sacramenta administrare per seipsum, tenetur praedicare, et Sacramenta administrare per alium, ita impeditus applicare Missam pro populo per seipsum, tenetur illam pro populo applicare per alium (l. 6. n. 327.).

158. Ex praedictis autem sequitur, quod teneantur, et quidem jure Divino, residere in suis respective Ecclesiis.: quod confirmatur 1.° ex verbis Ezech., ubi Deus graviter arguit, et severe minitatur Pastores Israel *non pascentes gregem*, vel etiam in otio, et mollitie elanguentes (34.). 2.° ex verbis Christi, quod *bonus Pastor oves vocat nominatim, et educit eas, et ante eas vadit, et oves illum sequuntur* (Jo. 10.) 3.° ex verbis Ap. ad Tim.: *Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistae, ministerium tuum imple* (ep. 2. c. 4.). Ubi notandum *Tu*, non scilicet per vicarium, aut substitutum. 4.° ex Trid. expresse ajente sess. 22. c. 1., mandatum id esse *praecepto Divino*; ac Pastores omnes proinde hortante, *ut praeceptorum Divinorum memores, factique forma gregis, in judicio, et veritate pascant, et regant.* Hinc sancivit ipsum Trid. sess. 6. de ref. c. 1., quod si Episcopus *sex mensibus continuis extra suam Dioecesim morando abfuerit, quartae partis fructuum*

unius anni fabricae Ecclesiae, et pauperibus loci applicandorum poenam ipso jure incurrat. Quod si per alios sex menses in hujusmodi absentia perseveraverit, aliam quartam partem fructuum similiter applicandam eo ipso amittat. Et sess. 23. c. 1. quod si non resideat, praeter *peccati mortalis reatum, quem incurret, pro rata temporis absentiae fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere posse, sed teneri illos fabricae Ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare* (l. cit.). Subjungens respectu Parochorum: *Eadem omnino etiam quoad culpam, amissionem fructuum, et poenas, de Curatis inferioribus etc., Sacrosancta Synodus declarat, et decernit.* Quod et confirmavit Ben. XIV. Bulla *Ubi primum* anno 1740., Bulla *Grave* 1741., et Bulla *Ad universae* 1646. *Quoniam tamen* (ait idem Trid.) *qui aliquantis per tantum absunt, ex veterum canonum sententia non videntur abesse, quia statim reversuri sunt*; hinc Episcopis concessit abesse per *duos, aut ad summum tres menses*; modo *id aequa ex causa fiat, et absque ullo gregis detrimento*; exceptisque Dominicis Adventus, Quadragesimae, Nativitatis, ac Resurrectionis Domini, Pentecostes, et Corporis Christi, in quibus eos monet, ne absint a suis Ecclesiis Cathedralibus (sess. 13. c. 1.). Quoad Parochos vero, ait idem Concilium, quod *discedendi licentiam, in scriptis, gratisque concedendam, ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant*: quo tempore *Vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum cum debita mercedis assignatione relinquant* (ibid.) Porro ex iis,

quae declaravit Ben. XIV. in citatis Bullis, potiora sunt: 1.°, quod causa aequa a Trid. requisita pro trimestri absentia Episcoporum, quod etiam proinde dicendum pro bimestri Parochorum, non sunt nec *animi levitas*, *nec oblectationum cupiditas*, *nec aliae futiles causae*. Causam vero relaxandi animum, vel consanguineos, aut amicos invisendi, docet B. Lig., non sufficere, nisi forte ad mensem, qui revera bene satis est ad animum relaxandum; Concilium namque judicium pro sufficientia causae remittit conscientiis Episcoporum, et sedulo monet, ne salutis periculo ob hoc se committant (lib. 4. n. 122.). 2.° quod si Episcopus ex juxta quidem causa, sed sine expressa Rom. Pont. licentia absit a Dioecesi ultra trimestre (quod proinde dicendum etiam est de Parocho, qui absit ultra bimestre a Parochia ex justa quidem causa, sed sine licentia Episcopi), et habetur, ut transgressor, et fructus non facit suos pro rata temporis absentiae, et alias incurrit poenas in transgressores impositas: suntque hae amissio facultatis testandi, et disponendi, si quae transgressoribus ejusmodi competat, a Pio IV. imposita: inhabilitas ad majores dignitates, et Ecclesias obtinendas a Clem. VIII. indicta; praeter caeteras Episcopis non residentibus impositas a Trid. sess. 6. c. 1., et sess. 23. c. 1.; quibus ipse Ben. addit privationem omnium privilegiorum, quae transgressoribus, tamquam Pontificio solio assistentibus, concessa fuerint. (B. Lig. l. 4. n. 127. et 122.). 3.° Quod teneantur pariter restituere tam Episcopi, quam Parochi, si resideant quidem, sed inutiliter, eo quod per seipsos non exerceant

principalia ministeria; postquam enim Tridentinum declaraverit, ipsos obligari ad personalem residentiam, addit: *Ubi injuncto sibi officio defungi teneantur* (loc. cit.); sine quo non esse veram, propriamque residentiam, declaravit in Bulla *Grave* Ben. XIV. Excusari tantum possunt valde probabiliter a fructuum restitutione, si Episcopus per tres menses, vel Parochus per duos, ipsis respective a Trid. concessos, inutiliter resideant (B. Lig. lib. 4. n. 127.). 4.° quod Episcopi ad limina Apostolorum accedentes juxta tempora statuta, abesse possunt per quatuor menses : sique occupari debeant in Conciliis Provincialibus, aut Congregationibus Ecclesiasticorum, vel in officiis Reipublicae, *quae ipsorum Episcopatibus sint adjuncta* possunt abesse pro tempore ad ea necessario, nec umquam possunt trimestrem absentiam a Trid. concessam conjungere cum eo tempore, quo absunt, vel ad Sacra limina visitanda, vel ob aeris suae Dioecesis insalubritatem, nec trimestre unius anni cum anni sequentis trimestri (n. 122.). 5.° Posse Episcopum residere in quocumque loco suae Dioecesis: *Personalem* (sunt Ben. verba in Bulla *Ubi primum*) *in Ecclesia vestra, vel Dioecesi servetis residentiam.* Qua super re Trid. quoque dixerat, *obligari Episcopos ad personalem in sua Ecclesia, vel Dioecesi residentiam* (loc. cit.).

159. Haec igitur sunt potiora ex declaratis a Ben. XIV. quoad residentiam tam Episcoporum, quam Parochorum: a qua excusantur ob aliquam tantum ex sequentibus causis; suntque ex eodem Trid. loc. cit.: *Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, et evidens Ecclesiae, aut Reipublicae uti-*

litas; quas tamen approbandas esse in scriptis quoad Episcopos a Pontifice, quoad Parochos ab Ordinario, idem Concilium decrevit. *Christiana Charitas*: ad componendas nempe inimicitias, praesertim personarum potentium, vel opitulandum alteri Ecclesiae, ut liberetur ab haeresi, vel aliis gravibus flagitiis; modo non fiat cum notabili propriae Ecclesiae detrimento. *Urgens necessitas*, ad effugiendum nempe extrinsecam mortis, vel alterius gravis damni periculum ab inimicis imminens, circa quod tamen recolantur quae dicta sunt l. 2. n. 29. Decrevitque etiam S. C., quod perdurante periculo, debet Parochus, transacto anno, omnino induci ad resignandam, vel permutandam Ecclesiam (Lig. l. 4. n. 125.). Ob periculum autem intrinsecum infirmitatis, potest quoque Pastor abesse. Si tamen infirmitas esset perpetua, vel absentia graviter ovibus noceret, deberet Pastor vel residere, vel curam resignare ex eodem Lig. l. 4. n. 125... *Debita obedientia*, Pontifici scilicet, vel suis Ordinariis ob bonum Ecclesiae, vel Reipublicae, vel aliam gravem causam: modo absentia sit ad breve tempus, alias namque requiritur absoluta necessitas boni communis. Quare declaravit S. Cong., Episcopum non posse uti opera Parochi in Visitatione, vel in alio servitio suae Dioecesis, nisi pro tempore illi permisso duorum mensium (ap. Lig. l. cit). *Evidens Ecclesiae, aut Reip. utilitas*, ad assistendum nempe Synodo Provinciali, vel Dioecesano; vel ad se, aut suos, aut Ecclesiam apud Curiam Regiam in gravi negotio defendendam, modo aeque fieri nequeat per alium: sique agatur de Episcopis, ac iis perti-

neat ad eorum familiam, alia licentia ipsis non conceditur ex Bulla Ben. XIV. *Ad universae*, nisi pro mensibus Conciliaribus.

160. Praedictis non obstantibus, docet B. Lig., utique Parochum posse per breve tempus abesse sine licentia, si aliqua occurrat necessitas, quae moram non patiatur Episcopum adeundi, modo idoneum Vicarium relinquat; deferatque Episcopo per epistolam et discessum, et causam, nisi de brevi sit rediturus; sicut etiam posse ex parvitate materiae excusari saltem a mortali, si discedat per modicum tempus, modo non relinquat infirmos in mortis articulo: qui super re refert declarationem quamdam S. C., quae ait: *Parochum non posse abesse absque licentia per hebdomadam, etiam relicto Vicario idoneo ab Ordinario approbato.* Cum tamen S. C. non declaraverit, an sub gravi, vel sub levi, et Ronc., et Sporer, et Barbosa, et Anacl. docent, non peccare graviter Parochum, qui absit sine licentia per sex, vel septem dies, relicto tamen Vicario idoneo, immo Tourn., Cabass., Sanch., aliique extendunt id usque ad 15., et 20. dies. Reprobat caeterum opinionem Lacroixii, quod non peccet graviter Parochus, si absit per bimestre sine licentia, sed cum causa, et sine gravi damno ovium: ac multo magis opinionem Nav., Bonac., Barbosae, aliorumque excusantium Parochum a mortali, et a restitutione fructuum, etiamsi per praedictum tempus abesset sine causa (l. 4. n. 123.).

161. Nedum tamen pascere debent fideles, ut diximus ex D. Bern., *exemplo conversationis*, *verbo praedicationis*, *ex fructu orationis*, sed Sacramento-

rum quoque administratione, nec non opportunis correctionibus, atque auxiliis. Et quidem quoad Sacramentorum administrationem, tenentur Episcopi, ut supra dictum est, saltem vigilare, ut per alios populo administrentur. Parochi vero ita tenentur, etiam extra necessitatem, Sacramenta ministrare suis subditis rationabiliter petentibus, ut solum excusentur a mortali, si semel, vel iterum extra necessitatem illis Sacramenta denegent, cum ad id ratione stipendii, quod exigunt, ex justitia teneantur. Ita B. Lig. l. 6. n. 58., addens nec semel excusari, si subditus petat ex urgenti occasione, v. gr. festi solemnis etc. Quomodo autem teneantur ad correctionem, dictum est l. 2. n. 58. Auxiliari tamen debent suis respective ovibus in aliis etiam necessitatibus, praecipue addiscendi Doctrinam Christianam, quam gravissime tenentur per se, vel per alios illis explicare, praebendique omnem assistentiam infirmis in vitae discrimine constitutis; nec tantum iisdem auxiliari in necessitatibus spiritualibus, sed etiam corporalibus, adeo ut dici possint pauperum parentes ob curam, quam de iis habeant.

162. Ut demum omnia haec officia adimpleantur, tenentur Episcopi Dioecesim frequenter lustrare; qua super re audiatur Trid.: *Episcopi propriam Dioecesim per seipsos, aut si legitime impediti fuerint, per suum generalem Vicarium, aut visitatorem, si quotannis totam propter ejus latitudinem visitare non poterunt, saltem majorem ejus partem, ita tamen ut tota per se, vel per visitatores suos compleatur, visitare non praetermittant.* Deinde additur: *Studeant*

quam celerrime, debita tamen cum diligentia, visitationem absolvere . . . Interimque caveant, ne ipsi, aut quisquam suorum procurationis causa pro visitatione, etc. nec pecuniam, nec munus quodcumque sit, etiam qualitercumque offeratur, accipiant; non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili; exceptis tamen victualibus, quae sibi, ac suis frugaliter pro temporis tantum necessitate, et non ultra erunt ministranda. Sit tamen in optione eorum, qui visitantur, si malint solvere, quod erat ab ipsis antea solvi, certa pecunia taxata, consuetum; salvo item jure conventionum antiquarum cum Monasteriis, aliisve piis locis, aut Ecclesiis non Parochialibus inito, quod illaesum permaneat. Quod si quisquam aliquid amplius accipere praesumpserit, is praeter dupli restitutionem intra mensem faciendam, aliis etiam poenis etc. (sess. 24. de Ref. c. 3.). Ex quibus Trid. verbis DD. omnes inferunt, nihil aliud accipi posse ab Episcopo, dum Dioecesim visitat, nisi tantum expensas victus moderatas ex c. *Romana §. Procurationes de cens. in* 6. Sique ipse, vel Clerici ipsum comitantes, vel alius visitator ab ipso delegatus pecuniam, vel munera, etsi sponte oblata, accipiant, ipso facto incidunt, Episcopus, si infra duos menses duplum non restituat, in suspensionem, et interdictum ab ingressu Ecclesiae, donec praedictam restitutionem adimpleat; in quod interdictum incidunt etiam ipso facto ejus familiares, qui per se, vel per alios eadem acceperint, etsi a sponte dantibus, ac duplum non restituant infra duos menses, donec praedictam restitutionem adimpleant: caeteri vero Epi-

scopo inferiores in suspensionem ab officio, et beneficio, aeque tamen, si infra duos menses duplum non restituant, ac usquedum ejusmodi restitutioni satisfaciant (c. *Exigit.* 2. *de censib.*, *et extrav. com. un. de cens. in* 6.). Sunt autem censurae praedictae Pontifici reservatae: cumque sint sub conditione, hinc earum reservatio, ut dictum est l. 1. n. 128., est specialissima, utpote a qua nemo potest absolvere, conditione non impleta: nec pecunia, vel munera accepta remitti possunt; sique remittantur, donatio est irrita (Pav. Luce etc. n. 146.). Decrevit quoque hac super re S. Cong. Conc., ut videri potest apud Ferraris V. *Procuratio*, quod si Episcopus visitet per alium, debetur huic dimidium, quod Episcopo deberetur, ac nihil Episcopo. Quod si ii, qui visitantur, malint solvere pecuniam consuetam, tenentur etiam triplex prandium praebere. Quod si visitator una die plures Ecclesias visitet, idem potest exigere, nec aliud, quam si unam Ecclesiam visitasset. Quod ei tantum rependendum est propter victum, ac domum, non tamen propter equos, nec nisi pro octo personis, quas secum ducere potest. Demum quod visitans Ecclesias Civitatis, ubi per aliquod anni tempus resideat, eoque magis Ecclesiam Cathedralem visitans, nihil potest exigere; sicut nec a Beneficiatis, vel Ecclesiis inopibus.

163. Hactenus de obligationibus Pastorum spiritualium erga suas respective oves. Harum autem erga illos obligatio, praeter amorem, reverentiam, et obedientiam illis debitam, est etiam decimarum solutio: sicut enim in lege veteri praescriptum a Deo fuerat,

ut tribui Leviticae, ex qua erant ministri Sacri, decima pars fructuum ab aliis tribubus solveretur, ita in lege nova aequum erat, ut iidem haberent quoque a Laicis, unde sustentarentur, ac liberius sacra munia obire possent. Hinc earum solutio est de jure Divino, etsi quoad modum sit de jure Ecclesiastico, et a consuetudine pendens, utrum nempe decima, an octava, an alia pars sit solvenda. Quare in multis locis, ut Parochis est assignata alia congrua sustentatio, non est in usu eis decimas solvere, standumque est proinde receptae loci consuetudini. Ubi tamen haec viget solvendi, eas non solvere est grave peccatum contra Religionem, et contra justitiam, ac proinde obligans ad restitutionem: constatque ex Conc. Lat. II., et III., et ex Trid., dicente, quod qui eas dare noluerint, aut dantes impediant, *res alienas invadunt* (sess. 25. c. 12.). Lataquae item est, ut constat ex Clement. *Cupientes*, excommunicatio Episcopis reservata in Regulares, qui in concionibus fideles averterent a decimarum solutione.

164. De obligationibus demum dominorum erga famulos, ac praeceptorum erga discipulos, ac vicissim, hic tantum dicimus, caetera opportunius suo loco dicturi, quod tenentur eos in rebus fidei, et in bonis moribus per se, vel per alios instruere, peccantes corrigere, et etiam punire, utque vitam degant christiano dignam, potissimum requirere, atque exemplo praeesse. Cavere item debent Domini, ne famulos gravibus injuriis, vel contumeliis afficiant; quod facientes, peccant graviter, vel leviter juxta conviciorum gravitatem, vel levitatem: praeceptores vero,

ne inter discipulos habeant, qui aliis sint scandalo; in quorum mores proinde inquirere tenentur, ut e gymnasio dimittant eos, qui aliis perniciosos resciverint: cumque horum profectum in litteris sedulo promovere debeant, hinc etiam tenentur studere, ut suo officio satisfaciant. Famuli vero, ac discipuli suis respective Dominis, ac Praeceptoribus amorem, reverentiam, atque obedientiam debent; quodque iis praeceptum fuerit, sollicite, ac fideliter exequi.

TRACTATUS V.

DE QUINTO DECALOGI PRAECEPTO.

De hoc praecepto acturi, loquendum ducimus 1.° de homicidii, et suicidii, et cujusvis injustae mutilationis crimine; ac undenam publica potestas hauriat jus malefactores plectendi poena capitali. 2.° An liceat aliquando procurare abortum; nec non cum moderamine inculpatae tutelae injustum aggressorem occidere vel vitae, vel bonorum magni momenti, vel pudicitiae, sive etiam honoris: 3.° quid de homicidio fortuito, duello, ac bello sentiendum. En igitur, quae agere in hoc tractatu operae pretium existimamus. Sit itaque.

Caput I.

De homicidii, et suicidii, et cujusvis injustae mutilationis crimine: et undenam publica potestas hauriat jus malefactores plectendi poena capitali.

165. Et quoad 1., satis dictu sit, gravissimum esse homicidii crimen, quia Dei jus usurpat, utpote solius, qui vitae, et mortis potestatem habet, ut dicitur Sap. 16.: *Tu es, Domine, qui vitae, et necis habes potestatem.* Et Deut. 32. *Videte, quod ego sim solus Deus, et non sit alius praeter me. Ego occidam, et ego vivere faciam.* Tum quia proximo affert omnium malorum temporalium maximum, atque irreparabile, cujusmodi est vitae amissio; sique statim decedat absque eo quod Sacramenta recipere potuerit, verisimillime etiam causa est, quod in aeternum pereat.

166. Hinc sequitur, nec marito uxorem, nec patri filiam licere occidere in adulterio deprehensas: circa quod leges Civiles id permittentes correctae, ac reprobatae sunt a Jure Canonico; fuitque ab Alex. VII. diris tradita prop., quae ajebat: *Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.* Hinc etiam sequitur illicitum esse, et quidem magis suicidium. *Illicitum*, tum quia homicidium esse potest et sui, et alterius, qui enim se interficit, hominem interficit; tum quia sicut nemo jus habet in proximi vitam, sic neque etiam in vitam propriam. *Et quidem magis*; cum enim jubea-

mur proximum, sicut nos ipsos diligere, ac proinde a nobis charitatis ordo incipiat; hinc si nemini adimere possumus vitam, eo magis illam adimere nobis ipsis non possumus. Quod si de Sanctis quibusdam compertum est, sibi mortem intulisse, ut de Samson, qui seipsum cum Philistiim obruit (Judic. 16.), etc.: respondent DD. cum D. Augustino, quod id vel fecerunt ex speciali Spiritus Sancti instinctu, *sicut de Samson* (ait S. Doctor) *nobis fas non est aliud credere* (lib. 1. de Civ. Dei c. 26.), tum quia Apostolus in ep. ad Heb. c. 12. Samsonem Sanctis annumerat, tum quia nonnisi post imploratam Dei opem columnas concussit; ex quo sequitur, quod si Deus per eum miracula faciebat, cum Philistiim igitur se interemit ex Dei instinctu. Vel etiam de aliis responderi potest, quod id fecerint ex ignorantia invincibili, qua invincibiliter crediderint licitum suicidium, cum grave fidei, vel castitati periculum impendebat.

167. Hactenus adversus suicidii crimen ex penu fidei. Audiatur modo super eodem Genuensis ex penu rationis: *Se la vita comincia ad esserci insopportabile, o se si abbia a morire tra poco tra acerbi dolori, o con grave ignominia, sarà lecito anticipar di poco il colpo della natura? Platone risponde di sì per un espresso, o tacito consenso del Monarca del Mondo. Così anche la sentì Cicerone, e Plinio, che nel 12 libro della Storia naturale non per altro, dice, la Natura apprestarci de' veleni, che per amorevolezza*, affinchè quando la vita divien di peso, si possa uscirne quasi dormendo. Dicesi da partigiani*

del suicidio: È egli un benefizio la vita, o una pena? Un benefizio, che preme soverchio, fia lecito ad ognuno il rinunziarlo: e se è pena, perchè non sarà lecito pagarla tutta assieme? Dippiù è lecito sacrificare i minori dritti al maggiore: e'l massimo de' dritti è quel, che abbiamo a non essere infelici. È iniqua ogni legge, che dica: Non voglio, che cessiate di essere infelici. Voci tutte de' matti. È viltà, e dappocaggine, scrive Aristotile, il voler morire, per non aver fortezza da sostenere il dolore, e l' ignominia. È certo, che Lucrezia, Catone, Pomponio Attico avrebbero mostrato maggior coraggio, soffrendo pazientemente, che con ammazzarsi. Ogni colpo, che recide la catena della natura, è un attentato contro il Sovrano del Mondo, per la cui volontà esistiamo: e riducendo tutti i dritti della presente vita a zero, non può dirsi, che sia sacrificare il minore al maggiore. È la vita per noi un benefizio: ma rispetto alla natura è un ordine, una legge. È un benefizio, che il Sovrano di un fantaccino faccia un Capitano: ma è una legge quella di serbar l' ordine militare, e combattere (Diceosina).

168. Hinc sequitur 1.°, quod etsi liceat reo ad mortem damnato scalam ascendere, collum gladio aptare, etc., non licet tamen, etiam ex Judicis praecepto, quod ipse se occidat, propriis puta manibus venenum haurire, gladio se transfigi, etc.: primum enim remote, alterum proxime ad mortem se haberet: 2.° quod graviter peccant funambuli ludentes per funem e locorum altitudine, cum semper obnoxii sint proximo mortis periculo ob vertiginem, quae

illis posset supervenire, vel ob subitum adstantium clamorem ex plausu, etc. 3.° Carthusianum in extrema aegritudine, ex qua Medicorum judicio convalere nequeat, nisi usu carnium, licite quidem posse, sed non teneri eis vesci, quia obiret naturaliter ex morbo, cujus ipse non est causa. Si vero ob inopiam aliorum ciborum fame moriendum esset, teneri eis vesci, cum mors ejusmodi, tamquam violenta, ipsi imputaretur, verumque esset suicidium.

169. Quid tamen dicendum de eo, qui morti pro amico se traderet? Respondet quidem D. Th. *Tradere seipsum morti propter amicum est perfectissimus actus virtutis; unde hunc actum magis appetit virtuosus, quam vitam propriam corporalem* (In 3. Dist. 29. art. 5.). Recte tamen intelligenda sunt S. Doctoris verba; quod nempe id licet ex motivo virtutis Christianae, ut ad subtrahendum proximum damnationi aeternae; ad exhibendum grati animi testimonium patri, vel alteri, cui pro acceptis beneficiis nihil aeque dignum rependi posset, aliudve simile motivum: idque probatur et ex Christi verbis: *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (Jo. 15.); quae non solum de spirituali, sed de corporali etiam salute intelligi possunt, et reapse intelliguntur a Chrysostomo lib. 2. de Sacerd. Et ex verbis Ap. ad Rom.: *Vix pro justo quis moritur, nam pro bono forsitan quis audeat mori* (5.)? Cum enim justus in extrema necessitate spirituali constitutus supponi nequeat, hinc iis verbis commendatur mors, quam quis subiret pro justo in extrema necessitate corporali constituto. Et

ratione demum ipsius D. Th., quod tametsi non liceat plus amare vitam amici, praecise qua vita est, quam vitam propriam, licet tamen plus amare actum praestantissimae virtutis, quam vitae propriae conservationem. Hinc licet peste infectis temporalia ministrare, quamvis cum mortis periculo moraliter certo, utpote heroicus charitatis actus. Hinc etiam licuit D. Casimiro, tametsi mortem ex medicorum oraculo subiturus, nisi nupsisset, a nuptiis abstinere, utpote servandae virginitatis gratia: etc. Licetne tamen ad jactantiam dumtaxat amicitiae vitam propriam profundere? Utique negandum, et quia charitas inordinata, ac proinde contra charitatis ordinem, qui sub praecepto cadit (lib. 2. n. 45.): et quia res minoris pretii, qualis esset amicitiae jactantia, praeferretur rei, qualis est vita, multo majoris momenti.

170. Caeterum etsi numquam liceat mortem directe quaerere, bene tamen licet ex Lig. 1.° illam sibi optare qui vitam experiretur morte amariorem, ex Eccl. 30., ubi dicitur: *Melior est mors, quam vita amara.* Sic enim Elias 3. Reg. 9., *petivit animae suae, ut moreretur*, ad vitandas Jezabellis insidias. Subjungens simul, quod si quis illam sibi optet ob minimas molestias, grave esset ex Diana, nisi, ut plerumque fit, excuset defectus advertentiae, et deliberationis l. 2. n. 30. Ac 2.° bene licet eam quaerere indirecte: vitam ex. gr. justa de causa periculis objiciendo; quaedam omittendo media ad illam incolumem servandam; austeritates sectando, quibus illa brevietur, etc. Sicut etiam ad exercendum aliquod praecellentis virtutis actum, ut supra diximus; ad bonum totius Rei-

publicae, sive publicam utilitatem: item cum vita servari non posset, nisi difficillimus mediis, nisi tamen ea communi bono sit necessaria, uti essent pretiosissima medicamenta, in quibus profundi deberent patrimonii opes, gravissimi cruciatus in sectione brachii, vel cruris etc., media enim difficillima sunt hoc ipso moraliter impossibilia, ad quae proinde quis dici poterit obligatus? Ad satisfaciendum quoque Deo, ac justitiae vindicativae ob patrata facinora: ac demum ad refraenandam carnis insolentiam, eamque spiritui subjiciendam, juxta Ap. mandatum: *Mortificate membra vestra* (Ad Coloss. 3.); ejusque exemplum, qui 1. ad Cor. ita scriptum reliquit: *Castigo corpus meum, et in servitutum redigo* (9.).

171. Potissimum autem puella, etsi illi non sit licitum directe se occidere ad virginitatem servandam, tum ex generali praecepto, *non occides*; tum quia castitas, utpote animi virtus, non amittitur, nisi a consentiente, numquam vero a dissentiente, quidquid hic per vim exterius patiatur, juxta illud D. Hier.: *Corpus mulieris non vis maculat, sed voluntas* (In c. *de pudic.* 31. qu. 5.): potest nihilominus, immo tenetur ex plerisque DD. certo mortis periculo se objicere, ut ab aggressore ejus pudicitiae se defendat pugnis, alapis, ictibus, clamoribus, omniumque virium conatu: 1.° enim non resistendo omnium virium conatu dici nequit, quod violentiam patiatur, sed tantum, quod consentiat ex metu. Hic autem non excusat a praeceptis negativis legis naturalis, quale est praeceptum: *Non fornicaberis* (lib. 1. n. 88.): Non resistendo igitur omnium virium conatu,

neque etiam a peccato excusatur. 2.° Quia non resistendo omnium virium conatu, jam ex parte sua exhibetur totum id, quod ad consummationem actus venerei requiritur, aliud enim ad id non requiritur ex parte mulieris, quam ut non resistat omnium virium conatu, sed quiescat. Nefas autem exhibere quidquid, ad consummationem actus venerei requiritur: Ergo et pudicitiae aggressori non resistere omnium virium conatu. Ab hoc proinde se non defendens pugnis, alapis, ictibus, clamoribus, peccat, quia non resistit omnium virium conatu, cum in conatu omnium virium omnia illa comprehendantur, utpote media ad pudicitiam servandam in aggressionis circumstantia. Hinc Deut. cap. 22. puella in civitate oppressa lapidibus obrui jubetur, *quia non clamavit*. Quorsum autem damnata, ut obrueretur lapidibus, nisi peccasset? Caeterum sua quoque ex Lig. probabilitate non caret sententia opposita, tum quia nec non resistentia toto virium conatu, nec quies foeminae in casu proposito dici possunt consensus ad peccatum, cum nullus consensui locus; ubi quis mere patitur, nec potest vim vi repellere: tum quia si teneretur mulier mortem potius, vel amissionem famae clamando oppetere, quam permittere sui ipsius violationem, teneretur integritatem sui corporis praeferre ipsi vitae, et famae, idest minus bonum majori bono; quod quis dixerit juxta ordinem? An non potius et vita, et fama integritati corporis praevalent? Ad textum autem Deut. respondetur, quod damnari praecipiebatur puella, quae violata fuissset, et non clamasset, *cum esset in civitate*, quia praesumebatur, ut

commentat Alap., *stupro consensisse*, *et ideo non clamasse*. Cui accedit, omnia praecepta judicialia Legis veteris post Legem Evangelicam jam cessasse. Subdit tamen idem Lig., priorem sententiam omnino suadendam esse in praxi ob periculum consensus: quodque cum adest hujus periculum proximum, mulier permittere debet, potius occidi, quam violari (l. 3. n. 368., et 430.).

172. Quamvis demum Ecclesiae Canones prohibeant, ne in loco sacro sepeliatur, qui seipsum interfecerit, id tamen intelligendum non est in dubio, an quis a seipso vel ab alio interfectus fuerit, delictum enim tam atrox, et contra naturam praesumi non debet absque evidentibus indiciis: ac neque etiam de iis, qui ex furore, amentia, vel gravi tristitia, aut phantasiae perturbatione mortem sibi intulere, vel ante mortem vere de crimine suo doluerunt.

173. Ad crimen autem homicidi, ac suicidii illud prope accedit mutilationis, cum homo non magis suorum membrorum dominus sit, quam vitae, cujus totalitas a membrorum integritate pendet. Excipitur solum praecisae necessitatis casus; tunc enim tantum ordo postulat, ut permittatur pars in gratiam totius resecari, tum quia pars est propter totum; tum quia hoc pereunte, ipsa etiam perit. Hinc etiam si alicui optio daretur, vel sibi aurem, aliamve corporis partem abscindere, vel interfectum iri; peccati expers esset, si ad mortem vitandam crudeli, ac iniquae jussioni obtemperaret. Pueros autem castrare ad vocis suavitatem, probabilius censet Lig., quod non licet, tum quia si id non licet pro bono animae, quanto

minus pro lucro temporali? Tum quia vocis suavitas non est bonum tanti momenti, ut liceat agere quod natura reprobat (l. 3. n. 374.).

174. Quae cum ita sint, undenam publica potestas jus haurit malefactores plectendi poena capitali? Et quidem esse penes publicam potestatem ejusmodi jus, ex eo patet, quod semper in usu fuerit et apud omnes nationes, etiam cultissimas, et apud ipsum Dei populum, ac tempore etiam, quo illi praeerant Viri Sanctissimi. *Omni autem in re* (ajebat Tullius) *consensio omnium gentium lex naturae putanda est* (Quaest. Tusc. lib. 1. cap. 13.). Accedit et illud Ex.: *Maleficos non patieris vivere. Qui coierit cum jumento, morte moriatur* (22.). Et illud Lev., ubi interfici jubentur, *qui maledixerint Patri, vel Matri, qui declinaverint ad Magos, qui cum nuru, ant noverca deliquerint, qui nomen Domini blasphemaverint* (20. et 24.). Et demum illud Ap.: *Si malum feceris, time* (Principem nempe), *non enim sine causa gladium portat, Dei enim Minister est, vindex in iram ei, qui malum operatur* (Ad Rom. 13.). Dei ipsius igitur testimonio Supremis Principibus praedictum jus adjudicandum est.

175. Undenam tamen illud hauriunt? Qua super re audiatur 1.° Genuensis: *La giustizia delle pene sta fondata su quel principio, che chiunque viola ingiustamente un dritto altrui, perde per legge di natura un dritto corrispondente, ed eguale a quel, che viola: mentre se no 'l perdesse, dunque il violerebbe con dritto, ch' è contro l' ipotesi. L' imperio civile, garante, e vindice di tutti i dritti privati, e pubblici*

della Republica, n' è l' esecutore. Quindi è manifesto, come nelle leggi fatte ne' comizj de' popoli abbia potuto attribuirsi a' Magistrati il jus vitae, et necis; non essendo le persone particolari, che abbian dato a' Magistrati questo jus, mentre come poter dare un tal jus, che niuno ha su di se stesso? Ma bensì l' ordine del mondo. Sia in esempio un aggressore dell' altrui vita. Perdè costui per legge di natura nell' atto dell' aggressione il jus alla propria vita? Senza dubbio. Se dunque in pena gli si toglie dal Magistrato, gli si toglie, mentre ad essa non ha più dritto, e quindi giustamente (Diceosina). Ita igitur laudatus Genuensis. Quia tamen publica potestas jus possidet infligendi poenas capitales non solum pro homicidiis, sed pro aliis etiam criminibus; quae capitali poena plectere non posset, si jus illas infligendi inde hauriret, quod injuste violans jus alterius, ipse etiam aequale jus lege naturali amittit: rectius proinde jus illas infligendi, ac potissimum capitales, repetendum est cum Grotio in Principibus Supremis a Deo ipso, cujus Ministri sunt, juxta Ap. verba superius relata: *Si malum feceris time* (Principem nempe), *non enim sine causa gladium portat, Dei enim Minister est, vindex in iram ei, qui malum operatur* (Ad Rom. 13.). Ex verbis autem, quod *gladium portat*, de poenis capitalibus illic loqui, perspicuum est. Apposite etiam verba Deut., ubi Deus ait: *Videte, quod ego sim solus Deus, et non sit alius praeter me. Ego occidam, et ego vivere faciam* (32.) Et verba Sap. *Tu es, Domine, qui vitae, et necis habes potestatem* (16.). Hinc sicut homini, quamvis membro-

rum suorum non sit Dominus, licet tamen membrum putridum abscindere: ita et Princeps, quamvis in vitam nocentis dominium non habeat, potest tamen tamquam Dei Minister, ac publicae tranquillitatis custos, nocentem, velut noxium Reipublicae membrum, interimere. Adhaeremus proinde Grotii sententiae; de qua etiam ita laudatus Genuensis: *Grozio par molto inchinato a credere, che il dritto delle pene capitali è da ripetersi dalla Signoria, e Potenza Divina, che vien da Dio a derivare alle Supreme Podestà, giusta quelle parole di S. Paolo*: Non est potestas, nisi a Deo. *La medesima idea sembra di essere stata presso i popoli antichi, ed ancora barbari. Tra gli antichi Tedeschi, dice Tacito, le pene afflittive de' corpi non erano, che de' Preti, siccome Ministri di Dio, il quale solo può avere il* jus vitae et necis. *Quindi anche nacque, che le pene capitali si chiamassero supplicia, volendo con ciò significare, che erano offerte fatte agli Dei in sodisfacimento dell' offesa Temi* (Diceosina).

176. Cum tamen publica potestas morti reum adjudicat, tenetur ei concedere tempus sufficiens ad Confessionem, etsi timeretur periculum direptionis: sicut etiam tempus pro sumptione Communionis (nisi tamen grave damnum timeatur), utpote de jure Divino in mortis articulo, quam Reus proinde potest etiam non jejunus suscipere. Quod si reus nolit confiteri, post adhortationem licite potest occidi a carnifice, tunc namque perditio sua ex se est (B. Lig. l. 3. n. 379.). Item ut praedictum jus suprema potestas exerceat in malefactores, debet eorum crimina

juridice probare, cum ordo postulet, ut actus publicus fiat etiam ex publica scientia: nisi vel crimen esset notorium; vel juridice procedere periculum seditionis, aut dedecus Principis praeseferret, et aliunde certo constet de crimine: ex quo sequitur, quod milites, qui reum, etsi delicti capitalis, cujus captio iis mandata sit, fugientem, aut resistentem interimunt, reos homicidii se faciunt: ac solum docet Lig., id fieri posse, si reus esset satis diffamatus alicujus criminis capitalis, nec posset aliter capi; et alias, eo dimisso, graviora mala ab eo timerentur (l. 3. n. 380.). Tantum igitur publica potestas, et quidem solum in malefactores, et juridice probatos habet praedictum jus: innocentes enim interimere et est intrinsece malum, et expresse a Deo illis verbis prohibitum: *Insontem, et justum non occides* (Ex. 23.); quare nullo umquam casu licet, nisi forte indirecte, ac permissive. Hinc non licet in bello, etsi justo, parvulos, mulieres, agricolas, peregrinos, religiosos, moniales, clericos interficere, esset namque directe interficere innocentes. Quod si innocentes nocentibus permixti ab iis discerni nequeant, licet, quando bellum justum aliter expediri non posset, alios cum aliis involvere, cum id sit tantum indirecte, ac permissive. Ad quod referri possunt illa D. Th. verba: *Quando causa habet duos effectus, unum bonum, alterum malum, poni potest ex intentione solius effectus boni, permissive se habendo ad malum* (2. 2. qu. 64. art. 7.). Quid autem dicendum de casu, quo Tyrannus minetur Urbi excidium, nisi innocens quidam illi tradatur occidendus? Ad quod Lig. respondet, posse tunc Rempublicam illum

cogere, ut Tyrannum adeat, et si nolit, tradere; cum enim, etsi innocens, ex charitate, et justitia legali teneatur vitam tradere pro Republica, si id renuat, non est amplius innocens, sed nocens (l. 3. n. 393.).

Caput II.

An liceat aliquando procurare abortum: nec non cum moderamine inculpatae tutelae injustum aggressorem occidere vel vitae, vel bonorum magni momenti, vel pudicitiae; sive etiam honoris.

177. Et 1.° quoad abortum spectat, illum directe procurare nunquam licet, sive foetus sit animatus, sive inanimis. Primum enim esset homicidium: alterum contra naturae ordinem. Indirecte autem subdistinguendum est: extra statum morbi lethalis, ex quo morali certitudine immineat Matri mortis periculum, neque etiam licet, sive foetus quoque sit animatus, sive inanimis. Hinc proscripta fuit ab Innoc. XI. propositio, quae ajebat: *Licet procurare abortum ante animationem foetus, ne puella deprehensa gravida, occidatur, aut infametur.* Cujus ratio est, tum quia esset contra naturae ordinem: tum quia, si liceret, vastissimus pateret campus cujusvis generis impudicitiis. Quod si mater lethali morbo laboret, ex quo morali certitudine judicetur peritura, rursus subdistinguendum est: si foetus est inanimis, licet Matri remedium sumere ad vitae conservationem omnino necessarium cum periculo expulsionis foetus, cum id sit uti jure cuique a natura concesso propriam vi-

tam servandi absque ullius injuria. Quod si foetus sit animatus, rursus quoque subdistinguendum: si pereunte matre, nulla spes adsit, quod proles supervivat ad suscipiendum Baptisma, illud quoque ob allatam rationem licet: si vero adsit spes hujusmodi, tenetur Mater a medicamine abstinere, cum ordo charitatis postulet, ut vitam spiritualem filii ipsi vitae suae corporali praeferat. Quia tamen, ut sapienter advertit Lig., rarissimus est casus, et moraliter impossibilis, ut pene miraculum sit, quod, pereunte matre, proles supervivat ad suscipiendum Baptisma, quemadmodum (subdit) mihi confirmarunt plures artis medicae periti, quos consului, quia matre laborante lethali morbo, humores corrumpuntur, et inficiunt foetus alimenta: hinc concludit, medicos in praedicto casu non esse in praestandis pharmacis scrupulose angendos (l. 3. 394.). Quo autem tempore proles anima informetur, et quaenam incurrantur poenae a procurantibus abortum foetus animati, ac secuto effectu, videantur, quae dicta sunt l. 1. n. 129, et 130.

178. Quoad questionem modo, an liceat cum moderamine inculpatae tutelae injustum aggressorem occidere vel vitae, vel bonorum magni momenti, vel pudicitiae, declarandum 1.° est, quid sibi velit illud *cum moderamine inculpatae tutelae.* Istud igitur significat, quod fiat cum observatione modi debiti ad propriam tutelam, ad quod quatuor requiruntur: 1.° ut aggressus aggressoris mortem non intendat, sed solam sui conservationem, alioquin ageret ex vindicta: 2.° ut mors aggressoris ad vitae defensionem ita sit necessaria, ut alio modo, precibus nempe, minis, fuga, etc. con-

servari nequeat : 3.° ut aggressus non excedat defensionis limites, adeo ut si tueri possit vitam percutiendo, non mutilet; si mutilando, non occidat, alioquin et peccaret, et teneretur ad restitutionem pro ratione excessus : 4.° ut occisio sit in actu aggressionis, sive ut loquitur quaedam Federici Constitutio : *Dum tamen in continenti haec faciat.* Hinc docet Lig., quod etsi aliquis moraliter certo sciat, jam inimicum parasse arma, vel mandatum servo dedisse, ut eum interficeret; nec possit aliter mortem effugere, nisi inimicum praeveniendo : neque etiam in hoc casu sequendam esse eorum sententiam, qui ajunt, posse illum praevenire; tum quia citra aggressionem, tum propter hallucinationis periculum (l. 3. n. 387.).

179. Quibus praejactis: quod cum moderamine inculpatae tutelae liceat injustum vitae aggressorem occidere, indubium apud omnes est, ut enim inquit Alex. III.: *Vim vi repellere, omnes leges, et omnia jura permittunt* (c. 3. de sent. excomm.). Ratio autem est, quod, ut supra diximus, qui injuste alterius jus aggreditur, et ipse aequale jus lege naturali amittit, utpote quod nisi amitteret, alterius jus non aggrederetur injuste, quod est contra hypothesim. Cum igitur injustus vitae aggressor amittat in actu aggressionis jus ad propriam vitam, haec illi si tollitur, absque injuria tollitur. Apposite etiam ad hoc Genuensis: *È il* jus *di difesa inseparabile da' nostri dritti, imperochè se avendo io un dritto, non ho il dritto di difenderlo da chiunque vuole ingiustamente usurparlo, siegue, che chi vuole usurparlo,*

possa farlo per suo dritto. Dunque il mio dritto è un dritto meno un dritto, cioè zero, contro l'ipotesi (Diceosina). Diximus tamen *injustum vitae aggressorem*: quid enim si aggressor non sit injustus? Etiam nempe ad propriam vitam servandam illum occidere non licebit: nam propterea absque injuria injusto vitae aggressori vita tollitur, modo fiat cum moderamine inculpatae tutelae, quod in actu aggressionis jus ad propriam vitam amisit. Eum igitur, qui injustus vitae aggressor non sit, hoc ipso quod jus ad propriam vitam non amisit, sed servat, neque etiam ad propriam vitam servandam licebit occidere. Ejusmodi autem sunt, non solum, qui a publica potestate mittantur ad reum morte dignum capiendum, sed etiam qui secus viam necessario conterendi essent ad effugiendam mortem ab injusto aggressore inferendam: *Se nella collisione* (ita laud. Genuensis.) *ambe le parti ritengono i loro dritti, si collideranno i casi, non i dritti, onde a niuna sarà lecito l' attaccar l' altra. Tal sarebbe il caso di chi inseguito da' nemici, fosse nella necessità di schiacciare una truppa di fanciulli, per iscansar la morte* (Diceosina). Non est tamen improbabile, ex Lig., quod hoc postremum liceat, modo infantes conterendi sint baptizati, qui a omnino praeter intentionem, et permissive ad propriam vitam servandam (l.3.n.393.).

180. Quod autem dictum est de injusto vitae aggressore, idem quoque dicendum de aggressore injusto bonorum magni momenti, nisi tamen via juris, vel aliter recuperari possint: ut cum *D.* Antonino, Suar., Lugo, Ronc., Salm., aliique, ac du-

ce potissimum D. Th. docet B. Lig. l. 3. n. 383., ac vocat probabilissimum, et commune. Quod probatur, quidquid Rigoristae ex adverso clamitent, 1.° ex illis Ex. verbis: *Si effringens fur domum, sive suffodiens inventus fuerit, et accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis* (22). Nec obstant verba subsequentia: *Quod si orto Sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, et ipse morietur* (ibid.). Respondet namque Alapide, quod id subditur, non quia, ut Rigoristae inquiunt, si fur nocturnus nescitur, quo animo veniat, an nempe occidendi, vel furandi, diurnus e contra discerni potest; quod ad furandum, non ad occidendum venerit: sed quia orto sole et facilius potest agnosci, atque hinc bona ablata facilius per Judicem recuperari possunt; et efficacius quoque potest repelli, invocato vicinorum auxilio: 2.° ex C. 2. de homic. volunt., ubi sic: *Interfecisti furem, aut latronem, ubi comprehendi poterat absque occisione. . . . Si te, tuaque liberando, non teneris ad penitentiam*: 3.° auctoritate D. Th., qui in verba superius relata: *Si effringens* etc. ita scribit ad honestandum homicidium in defensionem propriae vitae factum cum moderamine inculpatae tutelae: *Sed multo magis licitum est defendere propriam vitam, quam propriam domum* (2. 2. qu. 64. art. 7.). Si ergo multo magis licitum ex D. Th. propriam vitam defendere cum occisione aggressoris, quam propriam domum, hanc quoque ex eodem cum occisione furis defendere est licitum: cumque id probet ex relato textu, ergo (inquit Lig.) supponit pro certo, textum permittere occisionem invasoris bonorum (l.

cit.): 4.° quia evidens est, ac firmatum legibus, utique posse per publicam potestatem poena capitali puniri vim, qua aliquis bona alterius magni momenti aggredi ausus fuerit. Et morte igitur aggressoris posse a Domino repelli cum moderamine inculpatae tutelae consequens est; secus enim neque etiam publica potestas posset absque injustitiae nota furtum magni momenti poena capitali plectere: 5.° demum quia charitatis ordo non obligat praeferre nostris bonis proximi bona altioris ordinis, nisi cum proximus sit in extrema, vel gravi necessitate; non vero cum ipse sponte, et ex sua malitia se exponat mortis periculo.

181. Atque hinc patet quomodo respondendum sit oppositae sententiae patronis: ajunt namque, quod juxta charitatis ordinem praeferenda a nobis est spiritualis vita proximi vitae nostrae corporali; ac multo magis ejus et spiritualis, et corporalis vita cunctis nostris bonis temporalibus. Est autem contra ordinem hujusmodi injustum aggressorem occidere, etsi cum moderamine inculpatae tutelae, tam propriae vitae corporalis, quam bonorum magni momenti: illum enim occidendo ob primum, praefertur propria vita corporalis ejus vitae spirituali: ob alterum, praeferuntur propria bona temporalia ejus vitae tum spirituali, tum corporali. Utrumque ergo illicitum. Respondetur enim cum Lig. distin. maj.: Id namque postulat charitatis ordo, cum vita nostra corporalis, ac bona temporalia, quibus potiamur, sunt proximo absolute necessaria, non vero cum proximus ipsemet sponte, et ex sua malitia in mortis, ac damnationis periculum se conjiciat, tunc enim perditio sua, non ex nobis, sed ex se est (l. 3. n. 380, et 392.).

182. Ne tamen errandi occasio hinc sumatur, habeantur prae oculis prop. damnatae hac super re ab Innoc. XI.: *Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quae actu possidemus, sed etiam ad quae jus inchoatum habemus, et quae nos possessuros speramus* (prop. 32.). *Licitum est tam haeredi, quam legatario contra injuste impedientem, ne vel haereditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere: sicut et jus habenti in Cathedram, vel Praebendam contra earum possessionem injuste impedientem* (prop. 33.). *Regulariter possum occidere furem pro conservatione unius aurei* (prop. 31.). Sicut etiam damnata fuit ab Alex. VII. prop., quae ajebat: *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.* His positis: Bona magni momenti, de quibus diximus, illa generatim intelligenda sunt, quibus sublatis, deficeret alicui sustentatio pro se, et suis. Ita B. Lig. ex Viva, Elbel, et Natal. Alex. (l. 3. n. 383.): ubi etiam refert opinionem Cardenas, quod furtum 40. aureorum respectu cujuslibet sit furtum magni momenti; advertitque simul, quod illius tempore 40. aureorum valor pluris aestimabatur, quam nunc valor 80. aureorum, cum processu temporis creverit et pecuniae copia, et pretium rerum: ac demum subdit, per furtum 10 aureorum certe occisionem furis non licere, saltem regulariter loquendo. An autem liceat etiam Clericis, et Religiosis occidere injustum aggressorem bonorum magni momenti, respondet probabilius idem Lig. n. sequ., id et ipsis lice-

re, quia jus defensionis est de lege naturali, et ideo unicuique competit, nec proinde irregularitatem incurrere.

183. Quod *si licet* (ita idem Lig. cum D. Antonino) *non solum se, sed et bona sua praedicto modo defendere, quare non etiam, ac multo magis pudicitiam?* Hinc subdit, non peccare puellam, si vim si repellendo aggressorem occidat; quia, ut D. Antoninus inquit, *utitur jure suo naturali, quo licet vim vi repellere* (l. 3. n. 386.); idemque inter TT. rigidioris notae docet etiam Fulgentius Cuniliati (De V. Pr. c. 2. §. 3.).

184. Porro quod hactenus diximus licere in causa propria, procul dubio est, licere etiam in causa aliena, cum ex lege charitatis proximum diligere debeamus, tamquam nosmetipsos. Ideo tamen adest quoque de hoc obligatio? Ad quod respondemus cum Lig., quod exceptis Magistratibus, et Principibus, qui ex justitia tenentur defendere innocentium vitam, ac bona ab invasoribus; exceptisque militibus ad id conductis, qui etiam ad idem tenentur ex justitia; ad quod dum agitur de malo communi, praedicti omnes tenentur etiam cum vitae periculo: caeteri ad id probabilius non tenentur, etsi id possint absque propriae vitae periculo: tum quia in alterius occisione numquam deest magnum incommodum ob timorem inimicitiarum, publicae justitiae, etc.; tum ob horrorem inquinandi manus humano sanguine. Excipiendum solum est, si aggressus sit Parens, filius, uxor, aut frater, cum tunc obliget pietas ad eos tutandos; quemadmodum etiam si esset persona ad bo-

num publicum necessaria, vel demum occidendus sit ebrius, et in statu lethalis peccati, utpote in extrema animae necessitate (l. 3. n. 390.).

185. In honoris autem defensionem numquam licet ejus injustum aggressorem occidere : tum quia esset contra illud Christi praeceptum : *Orate pro persequentibus, et calumniantibus vos* (Matth. 5.): nec non contra illud Principis Ap. : *Nulli malum pro malo reddentes* (ep. 1. c. 3.): tum quia deessent quatuor supra relatae conditiones requisitae ad moderamen inculpatae tutelae. Addit Genuensis: *Che se dicesi da alcuni, che l' onore si uguaglia alla vita, e la sua perdita alla morte, ciò va detto di quello, ch' è figlio della virtù sociale, non del vizio. Or un insulto, non che ci possa toglier la virtù sociale, ce l' accresce, dove soffrasi pazientemente. Quindi a difendersi da un insulto, non può togliersi la vita all' autor dell' insulto* (Diceosina). Qua super re loquens etiam B. Lig., *non est iste* (scribit) *verus honor, sed honor apud homines improbos, quod est intrinsece malum* (l. 3. n. 382.). Hinc etiam de sententia Bus., quod liceat viro valde honorato alterum occidere, qui fustem, vel alapam ipsi impingere conaretur, quam aliter avertere non posset : *Etiamsi* (docet cum Sylvio) *honor sit bonum praestantius, quam divitiae, aut nullum, aut rarissimum arbitramur esse casum, quo pro defensione solius honoris liceat aggressorem interficere* (l. 3. n. 381.).

Caput III.

Quid de homicidio fortuito, duello, et bello sentiendum.

186. Et quoad 1.^{m}, praemittendum est, dupliciter contingere posse homicidium casuale; dando scilicet operam vel rei licitae, vel rei illicitae Quo posito: Si quis dando operam rei licitae, ex hac sequatur per accidens homicidium; ab eo excusatur, etiamsi illud praeviderit, modo non intenderit, et ad illud cavendum prudentem diligentiam adhibuerit. Si vero det operam rei illicitae, et homicidium praevideat, licet non intendat, subdistinguendum est: Si opus illicitum est periculosum, ita ut ex eo frequenter mors sequatur, et soleat sequi, profecto ab illo non excusatur, etsi omnem adhibuerit diligentiam ad illud cavendum, cum satis illi sit voluntarium, si minus in se, saltem in causa; ut si quis calce percuteret, vel terrefaceret mulierem praegnantem, ex quo abortus sequatur: unde etiam sancitum fuit in C. fin. de homic. in 6., irregularem effici, *qui mandaverit aliquem verberari, licet prohibuerit occidi, si mandatarius occidat.* Si vero opus illicitum sit quidem periculosum, sed leviter, ita ut nonnisi raro ex eo mors sequatur, excusatur ab homicidio, qui ei operam dederit, diligentiam adhibendo ad illud cavendum; ut Clericus, qui casu hominem occiderit in venatione clamorosa alias ei prohibita; sicut etiam si mulier, cum qua fornicatus fuerit, moriatur in partu. Quid

tamen dicendum de adultero, qui occideret maritum supervenientem in defensionem propriae vitae cum moderamine inculpatae tutelae? Respondet Lig., quod si accedens ad illius uxorem, aggressionis periculum praeviderit proximum, et facillimum, non excusatur: secus si caute accesserit, ac nullum, vel remotum tantum praeviderit periculum. Sub qua distinctione docet quoque respondendum esse respectu aggressoris, si vir, cognito adulterio, occidat uxorem (l. 3. n. 398.). Apposite autem ad haec, ob homicidium casuale neque etiam irregularitas incurritur, modo opus, etsi illicitum, ex quo mors secuta fuerit, sit raro mortis inductivum, ac debita adhibita fuerit diligentia, ne mors sequeretur: cum in hoc casu, ut Lig. disserit, homicidium non fuerit voluntarium neque in se, neque in causa, etsi enim opus fuisset periculosum, adhibita tamen diligentia ad homicidium cavendum, satis, qui illud posuit, a malitia homicidii excusatur (l. 7. n. 387.).

187. Quoad alterum vero, scilicet duellum, definitur istud *duorum, vel paucorum singulorum contra singulos certamen, uno indicente, et altero acceptante susceptum, convento loco, tempore, et armis.* Quo posito: si illud fiat Principis auctoritate ad justum bellum conficiendum, licet; cum non minus liceat ex justa causa pugna inter paucos, quam inter multos: quod patet etiam ex duello a Davide inito contra Goliath. Privata tamen auctoritate semper est illicitum; et quidem adeo, ut Trid. dixerit: *Detestabilem duellorum usum fabricante Diabolo introductum fuisse, ut cruenta corporum morte, ani-*

marum etiam periculum lucretur (sess. 25. c. 19. *de reform.*). Hinc Benedictus XIV. peculiari Const., quae incipit: *Detestabilem*, postquam damnasset sequentes prae aliis propositiones: 1. *Vir militaris, qui nisi offerat, vel acceptet duellum, tamquam formidolosus, timidus, abjectus, et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se, suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias sibi debitae, ac promeritae spe perpetuo carere deberet, culpa, ac poena vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.* 2. *Excusari possunt etiam honoris tuendi, vel humanae vilipensionis vitandae gratia duellum acceptantes; vel ad illud provocantes, quando certo sciunt, pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.* 3. *Non incurrit Ecclesiasticas poenas ab Ecclesia contra duellantes latas Dux, vel officialis militiae acceptans duellum ex gravi metu amissionis famae, et officii*: postquam, inquam, damnasset prae aliis praefatas propositiones, confirmavit, auxitque poenas in duellantes inflictas; suntque 1. excommunicatio Papalis ipso facto, et specialiter Pontifici reservata ut diximus l. 1. n. 125. Quam etiam incurrunt Patrini, consulentes (efficaciter tamen; secus si non persuaserint, ut cum Elbel docet Lig. l. 3. n. 401.), favorem praebentes, Domini dantes locum, ac etiam spectatores, qui tamen de industria spectent, ac sua praesentia quodammodo approbent, ac animent duellantes. 2.° Proscriptio omnium bonorum cum perpetua infamia. 3.° Privatio sepulturae Ecclesiasticae, *etiam* (inquit Ben. XIV. in laudata Const.) *ante sententiam Judicis, a decedente quoque extra locum con-*

flictus ex vulnere ibidem accepto, sive duellum publice, sive privatim inductum fuerit; ac etiamsi vulneratus ante mortem non incerta poenitentiae signa dederit, atque a peccatis, ac censuris absolutionem obtinuerit; sublata Episcopis, et Ordinariis locorum super hac poena interpretandi; ac dispensandi facultate, quo caeteris documentum praebeatur fugiendi sceleris, ac debitam Ecclesiae legibus obedientiam praestandi. Ut tamen B. Lig. advertit, poenae hae incurruntur tantum ob duellum stricte sumptum, scilicet *convento loco, tempore, et armis*; non vero ob conflictum improvisum, quamvis pugnantes ex eodem impetu irae perrexerint ad aliquem locum idoneum (loc. cit.).

188. Quoad postremum denique, idest bellum, definitur istud *publica armorum assumptio Reipublicae ab extraneis tuendae, aut vindicandae gratia*. Quod autem sub debitis conditionibus etiam in nova Lege liceat, contra id, quod teste D. Aug. lib. 22. contra Faustum docebant Manichaei, patet ex Lucae 3., ubi Joannes Baptista interrogatus a militibus, quid sibi ad salutem esset agendum, non jussit, ut militiam desererent, sed ne quemquam concuterent, et contenti essent stipendiis suis; in quem locum D. Aug. *Quibus proprium stipendium sufficere debere praecepit, militare non prohibuit.* Christus etiam Centurionis sub se milites habere dicentis fidem laudavit, nec illi imperavit militiae desertionem; ut habetur Matth. 8. Et Act. 10. praedicatur alius Centurio, ut vir justus, ac timens Deum, qui non solum miles erat, sed et miles esse non destitit. Ratio autem est, *quia vim vi repellere*, ut alias dictum est, *omnes leges*,

et omnia jura permittunt; nec inter Principes aliter, quam armis repelli potest.

189. Diximus tamen sub debitis conditionibus; suntque 1. auctoritas publica, cum privati habeant Superiores, coram quibus jus suum prosequi possunt: ac 2. justa causa, eaque jus certum prosequendum, et gravissimi momenti. *Jus certum*; in dubiis enim melior est conditio possidentis; ex quo Lig. infert, neminem posse expoliare alterum bona fide possidentem, nisi habeat certitudinem sui juris (l. 3. n. 404.). *Gravissimi momenti*; quia, ut sapienter advertit idem Lig., bellum communiter talia secum fert flagitia, et damna Religioni, innocentibus, mulierum pudicitiae, etc., ut numquam, nisi gravissima de causa sit gerendum: ex quo etiam sequitur, quod si pars adversa competentem offerat satisfactionem, inchoandum non est; sique inchoatum fuerit, si minus ex justitia, ex charitate saltem debet mox finiri. *Nocendi autem cupiditas* (ait D. Aug. loquitur), *ulciscendi crudelitas, implacatus, atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, et si quae sunt similia, in belli jure culpantur* (lib. 22. contr. Faust. c. 73.). Multo minus est justa causa indicendi bellum, ut docuit impius Nicolaus Macchiavelli, timor, ne Principis vicini nimium excrescens potentia Statui sit periculosa: ubi enim ex una parte nulla injuria, ubinam jus in altera bellum illi indicendi? Cumque eumdem errorem renovare postmodum visus fuerit Montesquieu, ita proinde Illustrissimus De Luca, Episcopus prius Muranus, subinde Triventinus: *Fu dottrina del Montesquieu, che*

tra le società il dritto della difesa naturale richiede qualche volta la necessità di assalire, allorchè un popolo vede, che una più lunga pace ne metterebbe un' altro nello stato di distruggerlo. In poche parole, che la bilancia delle Podestà, e l' equilibrio politico, che venisse ad alterarsi, sia dritto per la guerra. Dottrina desolante, che riapre quella caverna tenebrosa, dove giacea sepolto l'antico mostro dell' utilità, che l'antico peccato ne avea fatto la sola legge sovrana de' popoli, e la sola Madre dell' equo, e del giusto. Dottrina, che mette nelle mani la bacchetta di Tarquinio, la quale abbatte tutto quello, che si vuole innalzare, non per altra ragione, se non perchè s' innalza (In libros Salomonis).

190. Quibus positis, illicitum quoque est Regibus Catholicis in bello justo contra alium Catholicum Principem Haereticos, aut Gentiles in auxilium vocare, ex illis Ex. verbis: *Cave, ne umquam cum habitatoribus terrae istius jungas amicitias, ne sint in offendiculum in medio tui* (34.): quia nempe (addit Lig.) moraliter impossibile est, quod contracta societate cum hostibus fidei, innumera non obveniant Religioni damna (l. 3. n. 406.). Illicitum quoque directe occidere, ac spoliare innocentes: sub quo nomine veniunt infantes, pueri, senes, mulieres, rustici, mercatores, peregrini, amentes, Clerici, Religiosi, et quicumque gestandis armis impares sunt. Si tamen Clerici, Religiosi, ac ipsae mulieres sese bello immisceant, jam digni fiunt aliorum sorte. Item illicitum, praeterquam raro, et nonnisi ob causas gravissimas, dari urbs in praedam. Represaliae autem,

pro quibus intelliguntur *concessio alicui, vel aliquibus facta, ut pro rebus injuste ab alio ereptis, possit tantumdem ab eo auferri, etiam violenter, et pugnando*, unde sunt quoddam partiale bellum, sunt licitae sub conditionibus sequentibus; ut constet nempe de injuria illata, et de negatione satisfactionis debitae a Principe laedente; ut fiant expressa Principis auctoritate; ut non fiant in Clericos, seu personas Ecclesiasticas, vel earum bona; quod Greg. X. cum Concilio Generali Lugdunensi sub poena excommunicationis prohibuit (c. unic. de injuriis in 6.). Cavere demum debent ii, quibus curae est, ne aliquem per vim, aut dolum militiae adscribant: quod facientes, et peccant graviter contra justitiam tum erga sic coactum, cui injuste durum martis onus imponunt, quemque privant magna libertatis parte; tum erga parentes, quibus solatio sunt, ac subsidio: et tenentur ad restitutionem damni, quod patiuntur, et qui fuit vi, aut dolo militiae adscriptus, et parentes ejus, uxor, liberi, creditores, etc.

TRACTATUS VI.

DE SEXTO, ET NONO DECALOGI PRAECEPTO.

Cum ambo haec praecepta idem habeant objectum, de ambobus proinde in eodem tractatu ducimus agendum. Quamvis autem, spectata verborum vi, solum adulterium sexto Decalogi praecepto. *Non moechaberis* prohiberi videatur, omnem tamen et mentis, et oris, et corporis impudicitiam per illud vetari, patet

tum ex nono praecepto: *Non concupisces uxorem proximi tui* (Deut. 5.); tum maxime ex illis Christi verbis: *Omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est eam in corde suo* (Matt. 5.). Si enim Christus mulieris tantum aspectum ad ejus concupiscentiam ordinatam damnat, quanto magis oscula, amplexus, tactus, pollutionem, fornicationem, ac omnem speciem luxuriae? Haec autem definitur *inordinatus voluptatis venereae appetitus, vel usus.* Quapropter de cunctis hujus speciebus sermonem instituentes, quas omnes esse peccatum mortale ex genere suo, de fide est ex illis Ap. verbis: *Opera carnis, quae sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, quae praedico vobis, sicut praedixi, quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non consequentur* (Ad Gal. 5.); loquemur 1. de peccatis luxuriae non consummatis. 2. de peccatis luxuriae consummatis juxta naturam. 3. de peccatis luxuriae consummatis contra naturam. Sit igitur.

Caput I.

De peccatis luxuriae non consummatis.

191. Et 1.° ejusmodi est delectatio venerea; illa scilicet, *quae sentitur circa partes venereas, ex commotione carnis, ac spirituum generationi inservientium.* Hanc autem non solum lethalem esse, verum etiam non dari in ea levitatem materiae, patet et ex illis verbis Ap.: *Hoc autem scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus non habet haeredi-*

tatem in Regno Christi, et Dei (Ad Eph. 5.): et ex prop. damnata ab Alex. VII., quae ajebat: *Probabilis est opinio, quae dicit esse tantem veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, et sensibilem, quae ex osculo oritur, secluso periculo ulterioris consensus, et pollutionis.* Et demum, quia omnis delectatio venerea ex natura sua ordinatur ad seminis effusionem, estque inchoatio quaedam illius, cum, medicis testibus, in omni delectatione venerea quaedam fiat seminis resolutio, ejusque ad partes venereas deductio. Hinc cum seminis voluntaria effusio sit extra actum conjugalem semper mortalis, omnis quoque actus ad illam ex se tendens mortalis aeque dicendus est, cum omnis dispositio specificam suam malitiam accipiat a forma, ad quam disponit, motus a termino, ad quem tendit, medium a fine. Paucis: quia luxuria quaedam inchoata, viaque ad perfectam.

192. Hinc sequitur, motibus delectationis venereae resistentiam fieri debere, per actum saltem positivae displicentiae. Quod confirmatur et ex Trid. ajente: *Concupiscentiam non posse nocere non consentientibus, sed viriliter per gratiam repugnantibus* (sess. 5. in Decr. etc.): ex quo sequitur, quod, ut non noceat, mera consensus negatio non sufficit, sed requiritur etiam resistentia positiva: 2.° ex illis D. Aug. verbis: *Cum sola delectatione mens oblectatur illicitis, non quidem decernens esse facienda, tenens tamen, ac volvens libenter, quae statim respui debuerunt, negandum non est, esse peccatum* (lib. 12. de Trin. c. 12.). De eadem denique D. Th. loquens: *Delectatio* (inquit) *dicitur morosa, non ex mora temporis, sed ex eo*

quod ratio deliberans circa eam immoratur (2. 2. qu. 74. art. 1.). Docet proinde B. Lig., quod cum delectatio venerea supervenit, tenemur sub gravi ei positive resistere, quia hujusmodi commotiones, quando sunt vehementes, plerumque, si positive non repellantur, saltem per actum simplicis displicentiae, trahunt secum consensum voluntatis (lib. 5. n. 7.). Sive, quod idem est, cum ob maximam peccandi proclivitatem in re tam lubrica, praeferant motus hujusmodi, si positive non repellantur, proximum periculum in ipsam delectationem consentiendi, positivam proinde resistentiam iis fieri debere, consequens est. Hinc monet, confugiendum esse in hujusmodi motibus ad orationem, juxta id, quod Salomon ajebat: *Et ut scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, adii Dominum, et deprecatus sum* (Sap. 8.). Apposite etiam D. Hier.: *Statim ac libido titillaverit sensum, erumpamus in vocem: Deus, adjuva nos* (Ad Eustoch.). Aptiusque prae omnibus remedium, quia brevius, et facilius, docet idem Lig., esse crebram, et confidentem invocationem potentissimorum nominum *Jesu*, *et Mariae*: sicut etiam ferventem amoris actum erga Deum simul cum proposito subeundi potius mortem, quam peccandi. Caeterum subdit etiam, sufficere in actu commotionis animum ad alia divertere, cum hoc etiam sit positive resistere, ut bene advertunt Tourn., Contens., Croix, etc.; ac si motus sint leves, satis quoque esse, eos contemnere absque positiva resistentia. Qua super re addit quoque, non adesse obligationem motibus carnalibus positive resistendi, si ju-

sta adsit causa non resistendi; si quis scilicet expertus esset, resistendo magis motus excitari, et augeri, vel si motus ex actione necessaria, vel utili oriantur, ut ex auditione Confessionum, ex lectione rerum turpium scitu utilium, ex tactu necessario ad medendum, aliisque id genus: cum ex una parte non teneatur hujusmodi motus patiens ideo opus relinquere, ut communiter docent DD.; et ex altera neque etiam tenetur illis positive resistere ob nimiam difficultatem, ac molestiam illos taliter repellendi. Sufficiet igitur negative se habere cum firmo numquam iis consentiendi proposito; ipsa enim non consentiendi actualis cura sufficit tunc ad illum a culpa liberandum, saltem a mortali, etsi non a veniali, si praedicta cura sit tepida. Refert demum sententiam Croix, qui ut certum supponit, quod in casu praedicto, quando tentatio diu durat, et nimis molestum esset jugiter motus positive repellere, nullum peccatum sit illos permittere, negative se habendo: quod et consulit Tourn. cum Sylvio iis, qui sunt timoratae conscientiae (l. 5. n. 8.).

192. Ex malitia autem delectationis venereae sequitur 1.°, oscula, amplexus, compressiones manuum, et similia extra Matrimonium ex intentione delectationis venereae, vel cum periculo proximo in illam consentiendi, esse mortalia. Absque tali intentione vero, ac periculo, cum per se non sint impudica, nec tendant in actionem veneream, habita idcirco officii tantum causa, vel ex patrio more, vel ex amore honesto, vacant culpa, ex Lig. l. 3. n. 417.: subjungens tamen, quod si crebro fiant, vel cum

mora, aut ardore, et sensibili delectatione, erunt grave, cum valde excitent ad libidinem, et facile in venerem declinent.

193. Sequitur 2.°, tactus, et aspectus alienorum verendorum, praecisa necessitate, non posse a mortali excusari: exceptis probabiliter ancillis tangentibus pudenda puerorum, dum illos vestiunt, nisi cum mora, aut carnali delectatione id agant: sicut etiam citra periculum consensus venerei aspicientibus pudenda personae ejusdem sexus, nisi aspiciens esset valde proclivis ad sodomiam, vel nisi pulcher adolescens aspiceretur nudus. Idem dicendum de aspectu coitus humani, qui nec potest a mortali excusari. Tactus vero, et aspectus propriorum verendorum, aut coitus animalium, secluso animo venereo, sed ex curiositate, aut levitate, ac secluso scandalo, et periculo proximo consensus in venerem, posse a mortali excusari: modo, ut bene advertit Tourn., sint obiter, et non crebro, studiose, et morose, quia jam adesset periculum proximum in delectationem veneream consentiendi. Quare subdit Lig., non excusari a mortali, qui cum commotione spirituum, et sine justa causa tangeret propria pudenda. Si tamen tactus turpes speciem induunt personae, quae fuerit turpiter tacta, in confessione explicandam, non ita aspectus turpes, ex Lig., l. 3. n. 421., modo absque desiderio venereo; per solum namque aspectum turpem absque ullo turpi desiderio nulla habetur, nec etiam per desiderium, alterius corporis violatio. Id igitur dictum esto de tactibus, et aspectibus partium inhonestarum alterius, maxime diversi sexus. Aspectus vero partium

honestarum, etsi sexus diversi, ex urbanitate debita, vel alia justa causa, omni culpa vacant. *Immo nimia praecautio* (ut advertit Auctor Ethicae amoris) *posset aliquando plus obesse, quam prodesse, quia timor excessivus facit cogitare de objecto timoris. Advertatur igitur non esse per se illicitum, personas alterius sexus intueri, sed ex complacentia, vel curiositate intueri, vel etiam oculos figere in aspectus. Unde Aug. ep. 221. dicit: Oculi vestri etsi jaciantur in aliquem, figantur in neminem.* Simul proinde advertendum cum Lig., quod si aspectus personae diversi sexus est diuturnus, nequit a veniali excusari, idque maxime, si partium minus honestarum, ut pectoris, brachiorum, crurium; estque etiam mortale, si adsit proximum periculum turpis concupiscentiae, vel morosae delectationis, quae proculdubio habetur, cum vel adest commotio spirituum, vel sit mulieris pulchrae, vel inordinate dilectae, vel demum aspiciens sit valde ad venerem proclivis (l. 3. n. 422., et 423.).

194. Sequitur 3.°, quod verba obscoena solitarie sumpta, et quae passim proferuntur, et audiuntur, nec sunt valde lasciva, utique a mortali excusari possunt, ut etiam diximus lib. 2. n. 70. Hinc docet Lig., quod nominare pudenda sui sexus coram aliis ejusdem sexus, communiter loquendo, non est grave, quia non valde lascivum: nominare autem pudenda alterius sexus, aut modum copulandi Salm. censent grave; sed intelligendum coram scandalum patientibus, ac maxime coram mulieribus juvenibus honestis. Diximus *solitarie sumpta.* Distinguendum enim est inter verba obscoena solitarie sumpta, et turpiloquium:

istud namque semper dicendum est mortale ob proximum periculum tum delectationis venereae, tum gravis scandali, maxime ubi fiat coram juvenibus, et puellis. Idemque dicendum cum D. Antonino de componentibus, vel canentibus cantilenas plenas lasciviis; uti etiam de iis, qui ob jactantiam narrant turpia a se patrata, qui cum peccent non solum peccato scandali propter audientes, sed regulariter etiam peccato complacentiae de ipsis peccatis, explicare idcirco debent in Confessione speciem quoque peccati, de quo jactati fuerint (l. 3. n. 426.). Confirmat autem quod diximus et illud Prov.: *Os lubricum operatur ruinas* (26.). Et illud Ap. ep. 1. ad Cor.: *Corrumpunt bonos mores colloquia prava* (15.). Et ad Rom.: *Qui secundum carnem sunt, quae carnis sunt, sapiunt* (8.). Et illud Christi apud Luc.: *Ex abundatia cordis os loquitur* (6). Et apud Matth.: *Quae procedunt ex ore, de corde exeunt* (15.). In quem locum ita Natalis Alex.: *Mala omnia homines solent corde primum concipere, deinde ore eloqui, opere demum perficere. De corde exeunt, idest ex animo, et voluntate, et hominem reum faciunt apud Deum.*

195. Sequitur 4.°, graviter peccare, ac maxime adolescentes, qui adsint comoediis notabiliter turpibus ob delectationem consurgentem ex illis turpibus repraesentationibus, vel saltem ob periculum proximum in delectationem veneream consentiendi: ac qui propriam experti fuerint fragilitatem, etiamsi comoedia non sit notabiliter turpis. De choreis vero cum personis diversi sexus quid sit sentiendum, docet Card. Bellarminus, cujus verba laudantur quoque a Bened. XIV. Not.

76. : *Si adulterium, et fornicatio est malum, videre non possum, quomodo viros cum foeminis tripudiare non sit malum, cum hoc ad illud maxime provocet.* Hinc docet Lig., quod *per se licitae sunt modo fiant a personis saecularibus, cum personis honestis, et honesto modo, scilicet non gesticulationibus inhonestis* (l. 3. n. 429.), ubi notandum *per se*; in praxi enim raro absque mortali ducuntur, tum quia raro a personis honestis, et honesto modo; tum quia ordinarie *inter tot fomenta*, sonitus nempe, gesticulationum, compressionum manuum, aliorumque hujuscemodi, *etiam ferreas mentes* (ut scribit D. Hieron.) *libido domat.*

Caput II.

De peccatis luxuriae consummatis juxta naturam.

196. Sunt haec fornicatio, stuprum, raptus, adulterium, incestus, et sacrilegium. De singulis igitur hic agendum. Et 1.° definitur fornicatio *concubitus soluti cum soluta, seu libera et a voto, et a matrimonio, et a religione*: estque expresse a Deo vetita Lev. cap. 19. v. 29., Deut. cap. 23. v. 17., et 1. ad Cor. cap. 6. v. 9. Non solum autem habenda est, ut vetita jure positivo, sed et lege ipsa naturali; proscriptaque fuit ab Inn. XI. prop., quae ajebat: *Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.* Et sane, quod ex lege naturali debeatur proli debita educatio, et sustentatio, nemo in

dubium vocare potest. Haec autem ex natura rei deest proli in fornicatione; cum enim parentes inter se non devincuntur per legem matrimonii, nequeunt illi, ut par est, providere, sed ex natura rei casui relinquitur, ac cujusvis generis periculis exposita: Fornicationem igitur lege ipsa naturali prohiberi, consequens est. Nec obstat, quod parentes possent de prolis educatione, et sustentatione curam suscipere: quo posito, eorum fornicatio dicenda non esset lege naturali vetita. Respondetur enim, 1:° quod cum lex naturalis totam hominum communitatem respiciat, hinc non obstat, quin fornicatio dicatur vetita lege naturali, quod parentes se obligent ad prolis educationem, et sustentationem, quia istud esset non communiter contingens, quod est legum omnium objectum, sed contingens per accidens: 2.° quod ut fornicatio dicatur vetita lege naturali, sufficit, ut proli de se sit nociva, licet quandoque per accidens ei non noceat; cum enim proli de se sit nociva, debuit ab Auctore naturae generaliter pro omni casu prohiberi.

197. Ad fornicationem refertur concubinatus, qui definitur *frequens copula cum eadem foemina cum animo retinendi illam, tamquam proprio usui mancipatam.* Ita DD. communiter ex l. Penult. ff. *de concubin.* Concubinarius autem *frequenter copulam habens ec.* Nihil autem facessit ex Trid. sess. 24. c. 8. de reform., *sive in unamet domo, sive in alia*: sicut etiam si quis foeminam retineat ad eam sodomitice cognoscendam, vel ad se cum ea molliter polluendum, utpote scelera simplici fornicatione atrociora. Etsi tamen, ut diximus, ad fornicationem referatur,

non est simul dubitandum, quod sit simplici fornicatione notabiliter gravior, quippe quod in concubinatu homo non solum peccat, sed est in habitu peccandi, et in continuo fornicandi proposito: in quo valde graviorem haberi inordinationem, nemo est, qui non videat. Hinc Trid. statuit, concubinarios, tam solutos, quam uxoratos, cujuscumque conditionis existant, si ter moniti ab Episcopo non resipiscant, *excommunicatione feriendos esse, a qua non absolvantur, donec reipsa admonitioni factae paruerint*, et concubinas e Dioecesi ejiciendas (loc. cit.). Quoad Clericos vero, quod post primam monitionem *tertia parte fructuum, obventionum, ac proventuum beneficiorum quorumcumque, et pensionum ipso facto sint privati; quae fabricae Ecclesiae, aut alteri pio loco arbitrio Episcopi applicetur*: post secundum monitionem, non tantum praedicta eo ipso amittant, *sed etiam a beneficiorum ipsorum administratione, quoad Ordinarius, etiam ut Sedis Apostolicae Delegatus, arbitrabitur, suspendantur.* Demum *si ita suspensi, nihilominus concubinas non expellant, aut cum iis etiam versentur, tunc beneficiis, portionibus quibuscumque Ecclesiasticis perpetuo priventur, atque inhabiles, ac indigni quibuscumque honoribus, dignitatibus, beneficiis, ac officiis in posterum reddantur; donec post manifestam vitae emendationem ab eorum Superioribus cum iis ex causa visum fuerit dispensandum. Sed si postquam eas semel dimiserint, intermissum consortium repetere, aut alias hujusmodi scandalosas mulieres sibi adjungere ausi fuerint, praeter praedictas poenas, excommunicationis gladio plectantur* (sess. 25. c. 14.

de reform.). Docet caeterum Lig., quod praedictis fructibus non privantur, nisi post sententiam, juxta dicta lib. 1. n. 90. : nec sub eorum nomine comprehendi distributiones quotidianas ex declaratione S. C. apud Salm. (l. 3. n. 442.): sicut etiam suspensionem ab officio, et beneficio, quae habetur etiam contra eosdem ex c. *Sacerdotes* Dist. 50., esse tantum ferendae sententiae; ait enim Concilium, quod si Clericus concubinarius secundae monitioni non paruerit, ab Episcopo *suspendatur* ab administratione Beneficii. Quid clarius, quod non latae, sed ferendae sententiae? Utique tamen ex supra sancitis a Trid. colligitur, Clericum notorie concubinarium, ac debite, et specialiter admonitum ab Ordinario, irregularitatem contrahere; quae, licet videatur ex infamia, non cessat tamen, quia simul ex delicto, per vitae emendationem, sed per solam Pontificis dispensationem. Et hac quidem dispensatione semel concessa, *si recidivo vomitu* (ut dicitur c. 4., et 8. *de cohabitatione Clericor.*) *ad hujusmodi publicum concubinatum redierit, sine spe alicujus dispensationis ad praedicta prorsus inhabilis manere debet, ac proinde numquam denuo dispensari.*

198. Ad fornicationem quoque refertur copula cum alterius sponsa per verba de futuro; quam ad summum non esse, nisi circumstantiam aggravantem intra eamdem speciem, docet, ac definit Lig. satis probabile; cum enim per sponsalia neuter alteri corpus suum tradat, sed initurum matrimonium dumtaxat statuatur, hinc neuter fornicando potest de injustitia argui, nec proinde etiam qui cum iis fornicetur (l. 3. n. 447., et l. 6. n. 847.).

199. Sequitur stuprum, quod definitur *defloratio virginis*, *ipsa invita*; nam si consentiat (ita idem Lig.), erit tantum fornicatio simplex, nec circumstantia in Confessione aperienda; subdens solum, quod potest esse speciale peccatum aliunde, ratione scilicet infamiae, vel moeroris parentum, vel rixarum, etc. (l. 3. n. 443.).

200. Sequitur raptus, qui definitur *abductio violenta alicujus personae libidinis explendae causa. Abductio*, *idest de loco in locum ab alio moraliter distantem translatio*, nam qui puellam ad aliquos passus tantum traheret ad libidinem explendam, non esset raptor, sed stuprator. *Violenta*; illata scilicet vi sive personae abductae, sive iis, quorum potestati subest, parentibus nempe, tutoribus, viro; non autem, ut docet Lig., fratribus, dum mulier sit sui juris. Subjungens, quod si quae sponte discedat cum amasio, insciis parentibus, non esset proprie raptus, sed fuga, non addens fornicationi malitiam specie distinctam (l. 3. n. 444.). Ad vim tamen referuntur preces etiam importunae, et dolus. *Alicujus personae*; sive nempe sit mas, sive foemina; sive nupta, sive innupta; sive virgo, sive non. In quo raptus, qui est species luxuriae, differt a raptu, qui est matrimonii impedimentum, ad quod constituendum requiritur, ut persona rapta sit foemina; ut constat ex Trid. sess. 24. c. 6. de reform. matrim. *Libidinis explendae causa*; tum quia si ob alium finem persona abduceretur, esset plagiatus, non raptus: tum quia ad raptum, qui sit species luxuriae, requiritur actualis expletio libidinis; in quo etiam raptus, de quo loquimur,

differt a raptu, qui est matrimonii impedimentum, ad quem non requiritur, ut libido actu expleatur. Jam vero quod sit peccatum addens fornicationi malitiam specie distinctam in Confessione explicandam, ex eo patet, quod cum violet jus vel personae raptae, vel eorum, sub quorum potestate existit, hinc eo peccatur, non solum contra castitatem, sed etiam contra justitiam. Sancivit proinde Trid. 1.° , ut *inter raptorem, et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum possit consistere matrimonium*: 2.° ut *raptor ipse, et omnes illi consilium, auxilium, et favorem praebentes sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames, et si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant*: 3.° ut *teneatur raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare* (loc. cit.). Incurruntur autem praedictae poenae etiam per raptum, consentiente foemina, ejus parentibus, vel tutoribus repugnantibus, ut Lig. advertit; ex quibus, praeter impedimentum, et excommunicationem, quae ipso jure incurruntur, aliae non incurruntur, nisi post sententiam (l. 7. n. 1107.).

202. Sequitur adulterium, quod definitur *coitus viri cum foemina, quorum alter, vel uterque sit conjugatus*: in quo casu, si uterque scilicet sit conjugatus, duplex violatur thorus, ideoque duplex committitur adulterium propter duplicem injuriam, in proprium nempe, vel propriam conjugem, et in conjugem alterius. Porro quod sit gravissimum luxuriae crimen a caeteris specie distinctum, ostenditur et ex illis verbis Prov.: *Qui adulter est, turpitudinem, et*

ignominiam congregat sibi, *et opprobrium illius non delebitur* (6). Et ex illis Jobi, ubi adulterium vocatur *nefas*, *et iniquitas maxima*, *ignis usque ad perditionem devorans etc.* (31.). Et ex gravibus, quibus semper obnoxium fuit, poenis, et Dei, et hominum judicio: Dei quidem, ut habetur ex cap. 20. Levit:, ubi jubentur occidi adulter, et adultera; hominum vero, etiam Divina lege destitutorum, sic enim de Rebecca Isaaci conjuge ajebat Abimelech.: *Qui tetigerit hominis hujus uxorem*, *morte morietur* (Gen. 26.) et sic ettam Romani adhuc Gentiles, qui non minus, quam capite, plectebant adulteros. Quibus omnibus additur etiam ratio, quia adulterium, non solum turpitudinem habet, quae in simplici fornicatione reperitur, sed gravem etiam injuriam infert conjugi, quippe quod, matrimonio inito, non amplius, ut scribit Ap., *mulier sui corporis potestatem habet*, *sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet*, *sed mulier* (1. ad Cor. 7.). Quibus etiam accedunt et perturbatio pacis conjugalis, et malum prolis tam procreatae, quam procreandae, et mala alia innumera omnibus per experientiam nota. Nec a malitia adulterii excusat alterius conjugis consensus, quemadmodum ajebat prop. ab Innoc. XI. proscripta: *Copula cum conjugata*, *consentiente marito*, *non est adulterium*, *adeoque sufficit in confessione dicere*, *se esse fornicatum*; jus enim conjugii est inabdicabile, 1. quia sicut vir nequit cedere juri, quod uxor in corpus suum habet, ita nec juri, quod habet in corpus uxoris, secus namque uterque sibi invicem valide remittere possent totum jus,

quod in mutua habent corpora, ac matrimonium licet consummatum, dissolvere, cum Christus dicat: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Hinc cum hujusmodi cessio sit irrita, jus proinde, quod violatur, manet, ejusque violatio semper est adulterium. 2., quia cum ex hujusmodi abdicatione et prolis incertitudo, et animorum divisio inter conjuges, et innumera id genus mala exorirentur, hinc bonum commune exigit, quod inabdicabile sit jus conjugii, cui proinde neuter conjux renuntiare potest.

202. Docet etiam hic loci B. Lig., quod congressus sodomiticus viri cum sua uxore, licet primo aspectu non videatur adulterium, cum nullius jus violet, re tamen intimius perpensa, adulterium quoque, probabilius saltem, est dicendum, utpote etiam contra jus alterius conjugis non utendi ejus corpore, nisi juxta ordinem naturalem. Quod jus cum sit inabdicabile eo ipso, quod ab ordine naturali requisitum, hinc congressus sodomiticus cum conjuge, propterea quod contra jus hujusmodi, verum adulterium dicendum est (l. 3. n. 446.).

203. Sequitur incestus, qui definitur *congressus cum consanguinea, vel affine usque ad quartum gradum inclusive ex copula licita, usque ad secundum etiam inclusive ex copula illicita.* Qua super re censet probabilius Lig., 1.° incestum cum consanguineis non differre specie ab incestu cum affinibus, tum quia ex eodem pietatis motivo prohibetur copula cum consanguinibus, et cum affinibus; tum quia materialiter se habet, quod conjunctio oriatur ex sanguine, aut ex matrimonio. In qua sententia fuisse etiam D. Th.,

patet ex 2. 2. q. 154. a. 9. ad 2., ubi ait: *Persona affinis conjungitur alicui propter personam consanguineam conjunctam, et ideo quia unum est propter alterum, ejusdem rationis inconvenientiam facit consanguinitas, et affinitas.* Excipiendum tamen esse, idem subdit, incestum inter privignum, et novercam, interque socerum, et nurum, quia debitum reverentiae, quod est motivum speciale prohibendi congressum cum filiis, est etiam motivum prohibendi copulam inter privignum, et novercam, vel socerum, et nurum: 2.° incestum cum consanguineis in 1.° gradu tam lineae rectae, quam transversalis, specie differre ab incestu in aliis gradibus, cum enim inter consangineos in 1.° gradu tam lineae rectae, quam transversalis nullum ex ipso jure naturali possit consistere Matrimonium, in aliis vero gradibus solum ex jure positivo, incestum inter primos specialem deordinationem habere, consequens est. Subditque cum Lugone, explicandum quoque esse in Confessione, an pater peccavit cum filia, vel cum matre filius; ratione enim specialis reverentiae genitoribus debitae, habet incestus cum iis diversam malitiam ab ea, quam habuisset incestus cum fratre, vel sorore. 3.° Incestus in aliis gradibus tam affinitatis, quod commune est, quam consanguinitatis, omnes esse ejusdem speciei, quia omnes lege positiva constituti sunt, nec inde oriri potuit, quod major, vel minor graduum propinquitas induceret diversitatem specificam naturalem, magis enim, et minus non variant speciem; in qua sententia fuisse etiam indubitanter D. Th., patet ex l. cit. art. 9. ad 3. Ita igitur Lig. l. 6. n. 469. et 470.

Additque l. 3. n. 450., et sequ. 1., quod obtenta ab his dispensatione ad ineundum matrimonium, copula inter eosdem, saltem aeque probabiliter, non est amplius incestus, ubi enim matrimonium non est vetitum, locum non habet incestus. Sicut etiam incestus inter cognatos spirituales diversae speciei esse, quam inter consanguineos, et affines: quod et dicendum de incestu inter cognatos legales, idest ratione adoptionis, quippe quod incestus hujusmodi principium habent specifice distinctum a conjunctione et consanguinitatis, et affinitatis. Ac demum, quod fornicatio Confessarii cum poenitente probabilius est tantum circumstantia aggravans, non vero incestus, cum ex confessione nulla oriatur cognitio spiritualis ex c. ult. *de cognat. spir.* ubi: *Ex datione aliorum Sacramentorum* (praeter Baptismum, et Confirmationem) *cognatio spiritualis nequaquam oritur.* Nisi tamen sit Parochus, cujus cum poenitente, immo cum quavis ex ejus ovibus luxuria specialem haberet malitiam contra justitiam, ex qua tenetur oves suas pascere verbo, ex exemplo.

204. Sequitur demum sacrilegium, quod in hac materia definitur *violatio rei sacrae per actionem veneream.* Et 1.° quidem ratione personae, docet Lig., quod Religiosus simul, et Sacerdos unum sacrilegium committit peccans contra castitatem; Sacerdos enim aeque ac Religiosus ad castitatem tenetur ex voto sacris Ordinibus adnexo: (l. 3. n. 455.): quodque uterque rem habens cum alia persona sacra duplex committit sacrilegium, quia dupliciter Religionem offendit, scilicet et peccato proprio, et pec-

cato alterius, cui cooperatur. (n. 456.): An autem sacrilegium committat, inducendo alium consilio ad carnale peccatum? Negat satis probabiliter Lig., eo quod castitatis votum emittens, non alienam, sed propriam tantum castitatem vovet. Excipiendum tamen est, ut idem subdit, si ex positivo affectu ad libidinem alium ad peccandum induceret (n. 457.). Ratione autem loci violatur hic per actionem veneream, idque, ut Lig. probabilius definit, per copulam etiam maritalem occultam in Ecclesia, per quam proinde et committitur sacrilegium, et Ecclesia polluitur, ex dictis n. 94, et 95. Qua super re animadvertendum quoque est, per locum sacrum intelligendum esse omnem locum ab Episcopo benedictum, et deputatum ad Officia Divina, vel ad mortuos sepeliendos, a tecto usque ad pavimentum; non tamen cellas, nec claustrum, nec Sacristiam, nec tectum supra Ecclesiam, nec januam extra limen Ecclesiae, nec atrium: sicut nec oratoria privata, nisi erecta sint auctoritate Episcopi, ut fieri solet in hospitalibus, quia hoc posito, habentur, ut verae Ecclesiae, ubi omnes Missam in diebus festis audire possunt (l. 3. n. 460.). Ratione demum rei sacrae sacrilegium committit ex Lig. Sacerdos, qui indutus sacris paramentis ad Missam celebrandam se polluat; vel, gestans Venerabile Eucharistiae Sacramentum externe, vel interne peccet contra castitatem, quia sancta sancte tractanda sunt: sicut etiam qui se polluat statim post Communionem, post mediam nempe horam circiter (l. 3. n. 463.).

Caput III.

De peccatis luxuriae consummatis contra naturam.

205. Dicuntur haec *illa luxuriae peccata*, *in quibus conditiones non servantur a natura institutae ad generationem*: suntque congressus inordinatus, mollities, sodomia imperfecta, sodomia perfecta, et bestialitas; de quibus proinde singillatim hoc loco agendum. Et 1. congressus inordinatus est *accessio ad foeminam in vase debito*, *sed more inordinato.* De hoc autem communiter DD. docent, quod si fiat absque periculo effusionis seminis, non erit contra, sed praeter naturam. Quare si ejusmodi periculum vel caveatur, vel non adsit, eo quod matrix foeminae satis attrahat semen, et retineat, ut plerumque fit, erit tantum veniale, immo nullum, si rationabilis causa adsit sic coeundi, ut, ex. gr., quia mulier est praegnans, vel corporis dispositio utriusque, vel alterius conjugis aliter coire non patitur. Idem confirmat Sanchez, dicens, confitentem situm extraordinarium in concubitu, servato legitimo vase, non esse necessario interrogandum de effusione seminis, an extra vas evenerit, necne, vel expertus ne sit illius periculum, quia haec non frequenter, sed rarissime accidunt; nec obligatur Confessarius ad interrogandos poenitentes de extraordinariis quibusdam eventibus, qui in eorum peccatis alias mutarent speciem, et si ipsi poenitentes adverterent, explicare sine dubio deberent (lib. 9. de matr. d. 16. n. 5.). Idem quoque

Salm. confirmant, dicentes, non teneri Confessarium interrogare conjuges se accusantes de situs variatione in coeundo, an semen effusum sit, necne, quia raro, ut ajunt, accidit, semen effundi. Et sic etiam (scribit Lig.) ego pluries audivi ab iis, qui apud me in confessione se accusabant praepostere coivisse (l. 6. n. 917.). Subjungens, negandum non esse, quod coeuntes stando, vel sedendo, vel muliere incuba sint in majori periculo semen effundendi: licet non sit improbabile, nec etiam hujusmodi damnandos esse de mortali, quia, ut ajunt Sanchez, aliique, semper matrix mulieris attrahit, quod est sufficiens ad generationem, et reliquum, tamquam superfluum, expellit.

206. Sequitur mollities, quae definitur *voluntaria seminis effusio extra copulam.* Dicitur autem *seminis effusio*, ut distinguatur ab illo humoris fluxu, qui a DD. appellari solet distillatio, nec cum mollitie, seu pollutione est confundenda: *Nam ut dicunt Medici* (ita D. Th.) *sine libidinosa delectatione*, *et carnis rebellione nullus potest pollui vigilando*; *secus distillationem pati* (opusc. 64.). Porro quam grave peccatum sit mollities, seu pollutio; an liceat aliquando pollutionem procurare, vel eam optare, vel de ea gaudere; an teneamur illam compescere; an demum ponenti actionem, ex qua secutura praevidetur, semper imputetur ad culpam: en quae circa eam sunt valde scitu necessaria.

207. Et quoad 1., quam grave peccatum sit pollutio, patet ex illis Ap. verbis: *Neque adulteri*, *neque molles Regnum Dei possidebunt* (1. ad Cor. 6.). Sicut etiam ex Gen. 38., ubi de Onan hoc crimi-

ne inquinato dicitur: *Percussit eum Dominus, eo quod rem detestabilem faceret.* Quod ratione confirmatur; cum enim humanum semen ordinatum sit ad propagationem speciei, hinc inaniter illud profundere eadem fornicatione gravius dicendum est. Quare ab Innoc. XI. proscripta fuit prop., quae ajebat: *Mollities jure naturae prohibita non est; unde si Deus eam non interdixisset, saepe esset bona, et aliquando obligatoria sub mortali.* Quibus addendum, ex Lig., quod praeter propriam malitiam adjunctam saepe habet malitiam quoque ex qualitate personae se polluentis petitam, quae si sit sacra, est *sacrilegium*; si conjugata, *adulterium*, cum ejus caro dividatur contra fidem datam; si cum affectu ad aliam, cum qua optet habere copulam, si illa sit soluta, est *fornicatio*; si sacra, est *sacrilegium*; si ejusdem sexus, est *sodomia ec.* Si alienis tactibus, habetur etiam scandalum, se enim suo, et alieno peccato contaminant, et ad illud se mutuo incitant; quae omnia in confessione declaranda sunt. Probabilius tamen ex eodem Lig. opus non est declarare, an tactibus viri, vel foeminae; quia cum non adest concubitus, nec etiam adest affectus ad sexum, sed ad pollutionem; quae cum tantum tunc intendatur, de materiali se habet, quod tactibus viri, vel foeminae illa eveniat. Utique tamen declarare oportet, an tactibus conjugatae, vel habentis castitatis votum, vel alicujus conjuncti usque ad quartum gradum, eaque omnia, quae diximus ubi de incestu; quia in 1.° casu habetur insuper, quod violatur justitia, jus nempe habens conjux in corpus alterius; in 2.°, quod violatur Reli-

gio; in 3.°, quod violatur pietas (l. 3. n. 467., et 476.).

208. Hinc autem sequitur, quod procurare pollutionem numquam licet, ne quidem causa sanitatis aut, vitandae mortis. Sumere tamen medicinam ad expellendum semen corruptum cum periculo effundendi simul semen sanum, communius affirmant DD. licere, cum praeter animum, et per accidens semen sanum expellatur: eo fere modo (scribit Lig.), quo mulieri lethali morbo laboranti licet sumere pharmacum ad vitandam mortem necessarium, etsi indirecte foetus inanimis expellendus sit. Subdit tamen, modo 1.° semen sit certe corruptum, non vero si dubie. 2.° expulsio seminis corrupti possit fieri sine sensu libidinis. 3.° alia non adsint remedia ad illud expellendum: simulque advertit, numquam licitum esse tactibus id procurare, tametsi absit periculum consensus, cum id ex se tendat ad spiritus carnales commovendos, sanumque semen expellendum, quod numquam est licitum (l. 3. n. 478.). Quoad illius autem desiderium, vel gaudium, procul dubio est, quod desiderare pollutionem, etsi in somno contingentem, aut de ea gaudere propter delectationem, est lethale. *Illam vero appetere habere propter elevationem naturae sine peccato, idest sine hoc, quod det operam, sed via naturali, non est peccatum.* Ita D. Antoninus (2. p. t. 7. c. 5.). Sicut etiam de illa gaudere sine ulla culpa in somno contingente, vel potius de bono effectu ex ea exorto; de tali enim pollutione D. Th. loquens: *Si autem* (ait) *placeat, ut naturae exoneratio, vel alleviatio, peccatum non creditur* (In 5. dist. 9. art. 2. qu. 1. ad 3.).

209. An porro teneamur eam compescère, respondent DD., quod cum quis expergefactus sentit pollutionem jam incoeptam, modo absit et consensus in delectationem, et proximum ejus periculum ex praeterita experientia, non tenetur eam cohibere: tum quia, ut disserit Lig., difficillimum est avertere exitum seminis jam e lumbis decisi, ut communiter dicunt DD.; tum quia non tenetur cum periculo morbi ex corrupto semine retento effusionem illam impedire, ut etiam communiter iidem inquiunt. Nec vero tunc pollutionem vult, sed mere patitur, modo positive delectationem inde exorientem reprimat, et contra eam se muniat Divinum implorando auxilium, ne in veneream delectationem ullum lapsum permittat (l. 3. n. 479.).

210. Superest modo declaremus, an ponenti actionem, ex qua pollutio secutura praevidetur, haec imputetur ad culpam? Ad quod respondendum cum distinctione est. Quod vel actio, ex qua secutura praevidetur, est per se mortalis in genere luxuriae, ut tactus ex. gr., vel aspectus alienorum verendorum, vel coitus humani, etc., de quibus supra n. 193. 194., et 195.; vel etsi in tali genere ex se venialis, respectu tamen personae vehementer ob suam pravam dispositionem in pollutionem influit, ut lectio venialiter turpis solius curiositatis gratia, aspectus coitus animalium, tactus propriorum verendorum ex levitate, et similia, quorum ratione non raro, sed frequenter quis expertus fuerit pollutionem; haud dubium, quod pollutio praevisa imputetur ad culpam, et quidem mortalem: cum enim actiones hujus-

modi suapte natura excitent libidinem, atque ad luxuriam incitent, hinc qui eas velit, hoc ipso etiam libidinem, atque luxuriam vult; quae proinde merito imputatur, utpote voluntaria in causa. Excipiendum tamen 1.°, si praefatae actiones ponantur ex causa necessaria, vel utili, vel convenienti animae, aut corpori; ut enim D. Th. ait: *Quando causa habet duplicem effectum, unum bonum, alterum malum, poni potest ex intentione solius effectus boni, permissive se habendo ad malum* (2. 2. qu. 64. art. 7.). Hinc et Parochis, et aliis quoque Confessariis licet mulierum Confessiones audire, ac legere tractatus de rebus turpibus; Chirurgis aspicere, ac tangere foeminas aegrotantes, ac rebus medicis studere; reliquis demum alloqui, osculari, aut amplexari mulieres juxta morem Patriae, etsi ex hisce actionibus pollutio secutura praevideatur, modo in eam non consentiatur, cum ex causa necessaria, vel saltem utili, aut convenienti ponantur. Hinc etiam qui magnum pruritum patiatur in verendis, potest illum tactu abigere, etiamsi pollutio sit secutura: ut enim scribit Lig., rationabilius judicandum est, quod talis pruritus, quando est valde molestus, oriatur ex acrimonia sanguinis, quam ex ardore luxuriae: ac saltem in dubio possidet libertas se liberandi ab hujusmodi molestia per tactum de se licitum, cum licite quisque possit pruritum corporis tactu abigere; et si accidit pollutio absque periculo consensus, per accidens, et involuntarie, ac proinde inculpabiliter accidit. Pro certo autem probandum esset, pruritum illum a libidine procedere, ut patiens

ab eo tactu abstinere teneretur (l. 3. n. 483.). Excipiendum 2.°, si causa influens fuerit omnino levis, prout esset visus partium honestarum mulieris, colloquium non diuturnum cum foemina, vel leviter obscoenum, etc.; cum sit fere moraliter impossibile omnes id genus causas vitare: quo tamen posito, omni culpa non vacat pollutio praevisa, sed eo gradu, ut docet Lig., erit mala, quo mala est ipsa causa, tum quia in hac volita; tum quia cum causa leviter in pollutionem influat, nec etiam obligatio illam vitandi ob pollutionem praeter intentionem ex illa secuturam, gravis dicenda est; (l. 3. n. 484.).

211. Id igitur dictum esto, si actio, ex qua pollutio secutura praevidetur, sit vel mortalis, vel venialis in genere luxuriae. Quod si omnino honesta sit, pollutionem, quae inde praevidetur secutura, ad culpam nullatenus imputari actionem illam ponenti, modo absit consensus, ejusque periculum in delectationem veneream, nec illam velit, vel intendat, manifestum est 1.°, quia prosequenti jus suum non imputatur effectus per accidens, et praeter intentionem sequens. 2.° quia secus abstinendum esset a rebus quandoque omnino necessariis: 3.° quia cum actio nullatenus ad luxuriam pertinet, cumque ea nullam connexionem, vel affinitatem habet, potest, qui eam vult, simul pollutionem nolle, quae inde sequitur, unumque velle, altero non volito: hoc enim adest discrimen inter ea, quae sunt connexa, et quae sunt disparata, quod nempe in connexis qui unum ex iis vult, alterum quoque eo ipso velle, necessarium est; secus in disparatis, quorum unum ex

iis volens, potest simul alterum nolle. Quomodo igitur pollutio inde sequens imputabilis ad culpam, cum nullatenus fuerit volita nec in se, nec in causa? Ob quam postremam rationem nec etiam ad culpam imputatur, saltem mortalem, si actio, unde pollutio secutura praevidetur, sit quidem illicita, etsi mortaliter, sed in alio genere, *puta* (ait Lig.) *ex ebrietate*, *vel ex comestione carnis nimis immoderata*, *etc.*: modo etiam praeter intentionem sequatur, et secluso periculo consensus. Nec obstat, quod praevidens in ebrietate, blasphematurum, vel patraturum fore homicidium, utrumque illi imputatur ad lethalem culpam, utpote in causa volitum. Et igitur praevidens in ebrietate, passurum fore pollutionem. Disparitas namque adest tam lata inter blasphematurum, vel patraturum homicidium in ebrietate, ac in illa passurum pollutionem, quam lata adest inter agentem, ac patientem. Porro circa id, quod quis praevideat se passurum in causa, potest negative se habere, ac velle causam, quin simul velit effectum, modo non agatur de rebus inter se connexis; non vero circa id, quod praevideat in illa se acturum, repugnat namque, quod quis negative se habeat circa actionem a semetipso faciendam. Patet ergo disparitas: atque hinc concludendum cum Lig., pollutionem in causa non esse mortalem, nisi proveniat ex causa *per se mortali*, *et quidem mortali in genere luxuriae* (l. 3. n. 484.).

212. Ad quae magis, magisque confirmanda, praestabit quoque aliquem ex rigidioris notae Theologis audire; ex quibus primum ita Fulgentius Cuniliati: *Ponens causam dumtaxat remotam mollitiei, nec de*

se influentem in illam, nec natam illam excitare, etsi nihilominus praevideatur secutura mollities, puta equitando, chirurgiae studendo, confessiones audiendo, loquendo cum muliere de honestis, et similia; si absit periculum consensus, mollities secuta non est mortalis, cum non sit volita in causa ulla per se illam inferente; sed effectus per accidens sequitur ex temperamento illam patientis, eamdemque rejicientis, dum exurgere advertit. Eapropter si dictae causae remotae ponantur sine ullo motivo virtutis, et semper absit periculum consensus, mollities ex illis secuta erit peccatum veniale: si vero ponantur ex motivo alicujus virtutis, et sine consensus periculo, nullum involvetur peccatum (Th. mor. tr. 2. c. 2. §. 15.). Similiter et Colet: *Si causa etiam in genere luxuriae mala, nonnisi venialiter mala sit, leviterque solum, ac remote influat in mollitiem, verius videtur, quod quis non teneatur abstinere ab illa causa sub mortali; quodque pollutio inde contra voluntatem proveniens solum sit peccatum veniale, quia non est voluntaria, nisi leviter, et imperfecte. Quod si causam quidem praegnoscas, et possis vitare, sed non tenearis; pollutio inde subsequens non tibi imputabitur, modo nullum sit periculum consensus, quia per accidens, et praeter voluntatem accidit ex miseria naturae per peccatum corruptae. Non teneris autem causam vitare, quando est aut necessaria, aut utilis, aut honesta, tuoque statui consentanea* (De 6. Dec. praec. c. 6.). Addit, quod etsi in re venerea in se volita numquam prorsus detur parvitas materiae, ut constat ex n. 190., conformiter tamen ad communissimam TT. opinionem

dantur inter amicos teneriora quaedam verba, quae quidpiam sensualitatis habent, et quibus tamen, qui justo suavius afficiuntur, mori malint, quam foedari, aut in levi, quae inde aliquando suboritur, commotione complacere. Haec autem pudicitiam nonnisi leviter offendunt; quae tamen sedulo vitanda sunt, ne paullatim trahant ad majora, ne mentem inquietent, ne demum dubium ingerant, an non a gratiae statu excideris: at simul ostendunt, quod datur materiae parvitas in sensualitate castitati opposita (ibid.).

213. Sequitur sodomia imperfecta, quae definitur *congressus maris cum foemina extra vas naturale*: atque imperfecta dicitur, quia sodomia perfecta est *congressus duorum ejusdem sexus*. Hinc sequitur, quod si interfuerint solum tactus mutui, etsi cum pollutione, sed sine mutua corporum conjunctione, et sine affectu ad sexum indebitum, probabilius nec imperfecta, nec perfecta adfuit sodomia, sed tantum pollutio: sicut etiam, quod vir concumbens cum muliere extra vas duo committit peccata, contra eamdem castitatem quidem, sed diversae speciei, unum fornicationis in affectu, alterum sodomiae imperfectae in effectu. Utraque autem, imperfecta scilicet, et perfecta, specie ab altera distinguitur, estque gravissimum peccatum; de utraque enim Ap. loquens, ita ad Rom. scribit de Idololatris superbis: *Tradidit illos Deus in passiones ignominiae; nam foeminae eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum, qui est contra naturam. Similiter autem et masculi, relicto naturali usu foeminae, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem ope-*

rantes (1). Utraque etiam, prout diximus de tactibus n. 193., praeter propriam malitiam, potest quoque habere vel malitiam *adulterii*, si fiat a persona, vel cum persona conjugata; *sacrilegii*, si fiat a persona, vel cum persona sacra, etc.; quae omnia in Confessione sunt declaranda. Sicut etiam declarandum in Confessione est, si perfecta, vel imperfecta fuerit, quia distinctae speciei (Lig. l. 3. n. 466.): sicut etiam si inter propinquos usque ad quartum gradum, sive sint consanguinei, sive affines, sive cognati spirituales, sive legales propter malitiam incestus; omnibus namque hisce gradibus debetur ex lege Ecclesiae reverentia, et pietas, quae si offenditur coitu naturali, multo magis innaturali (n. 469.). Ita etiam declarandum, fuerit ne poenitens agens, vel patiens, quia in agente multo facilius adest pollutio, quam in patiente. (n. 468.). Audiens tamen Confessarius, mulierem cognitam fuisse extra vas naturale, non debet quaerere in quo loco, vel quomodo (n. 466.). Demum ob hujus criminis gravitatem, inflicta est contra sodomitas a lege civili poena mortis, et combustionis, ut constat ex Cod. Theodosiano l. 9. tit. 7.: a jure autem Canonico ex Bulla S. Pii V., Clerici omnes tam saeculares, quam regulares hoc dirum nefas *exercentes* (verba Bullae) *omni privilegio Clericali*, *officio*, *Beneficio praesentis canonis auctoritate privantur*. Cum tamen juxta dicta l. 1. n. 90. nulla poena privans aliquo jure acquisito incurratur, nisi post sententiam, hinc praedictae poenae nec etiam, nisi post sententiam, incurruntur.

214. Bestialitas demum definitur *congressus cum*

bestia, *sive ejusdem sexus*, *sive non.* Ejus specialis gravitas ex se patet, nec non ex illis Lev. verbis: *Qui cum jumento*, *et pecore cojerit*, *morte moriatur. Pecus quoque occidite* (22.). Non oportet tamen in Confessione explicare, nec cujus speciei fuerit, nec si fuerit mas, vel foemina, cum tota hujus facinoris deformitas, ipsa sodomia gravior, consistat in accessu ad diversam speciem, ideoque circumstantia sexus omnino accidentalis est, nec ullam in genere moris differentiam involvit; ob quam rationem nec etiam explicandum est, an si cum foemina fuerit intra, vel extra vas.

TRACTATUS VII.

DE SEPTIMO, ET DECIMO DECALOGI PRAECEPTO.

Cum furtum, quod hoc praecepto prohibetur sit quaedam justitiae violatio; cumque obligatio restituendi, quae furtum subsequitur, ipsa quoque sit quidam actus justitiae: ad rectam proinde utriusque intelligentiam, ordinemque servandum, loquemur 1.° de justitia, et jure: 2.° de furto: 3.° de restitutione. Huic autem praecepto affine quoque est decimum. Sit igitur.

CAPUT I.

De justitia, *et jure*, *ac de iis annexis.*

215. Definitur justitia ab Ulpiano: *constans*, *et perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi* (l. 10.

ff. de justitia, et jure). A Theologis: *Virtus moralis firmans voluntatem ad tribuendum unicuique jus suum, idest quod cuique debitum est ex jure*; et quatruplex ab iisdem distinguitur, legalis nempe, commutativa, distributiva, et vindicativa. Legalis est *virtus firmans privatum ad tribuendum Reipublicae, seu communitati quod ei debitum est ob bonum commune*: ad quod cum leges respiciant, hinc dicitur legalis. Commutativa est *virtus firmans ad reddendum personis privatis ad aequalitatem, quod ipsis debetur vi dominii, orti ex pacto, aut contractu, ratione cujus habeant jus in re, vel ad rem*: cumque pacta, et contractus ut plurimum in commutationibus versentur, hinc dicitur commutativa. Distributiva est *virtus firmans superiorem ad tribuendum subditis munus, officium, vel onus juxta proportionem meriti, et facultatis ejus*. Vindicativa demum *virtus firmans superiorem ad reum pro merito puniendum*. Jus autem definitur *potestas legitima ad aliquid sibi debitum*: potestas nempe, quae ad id a lege habeatur, propterea quod potestas, quae non habeatur a lege, non est jus, sed injuria. Estque aliud in re, aliud ad rem. Primum est *jus, quod quis habet in re jam sua, et obtenta*; ideoque tribuit actionem in rem ipsam. Alterum est *jus, quod quis habet, ut res aliqua fiat sua*; quod proinde tribuit actionem in personam, penes quam est res, non vero in rem ipsam, cum haec nondum sit ei obligata. Actio demum definitur *jus prosequendi in judicio id, quod vel suum est*; et dicitur actio realis: vel *quod sibi debetur*; et est actio personalis.

216. Subdistinguitur jus in re in usumfructum, et dominium. Ususfructus est *jus utendi, ac fruendi re aliqua, salva ejus substantia*; et qui illum habet, dicitur usufructuarius. Cumque fruatur re aliena, consequens est, ut eumdem et commoda, et incommoda sequantur ex lege generali, quemadmodum suis in locis clarius explicabitur. Differt porro ab usuario, qui tantum habet jus utendi, et fruendi re ad suum, non vero ad aliorum usum. Dominium autem definitur *jus gubernandi, vel disponendi de re aliqua, tamquam sua, nisi lex, vel pactum obsistat.* Quod additur, quia ejus usus potest lege, aut pactione impediri. Sic pupillus nequit bona sua alienare, licet sit eorum dominus, cum lex obstet: nec debitor pignus, quamvis sit ejus dominus, ob pactionem cum creditore initam. Est autem vel *jurisdictionis*, ut Principis erga subditos: vel *proprietatis*, ut Domini erga res suas. Quod postremum subdistinguitur in *directum*, ut Principis in feudum, et Domini in praedium datum ad emphyteusim: et in *utile*, quale habet feudatarius, et emphyteuta.

217. Quibus praemissis: ad acquirendum dominium hujusmodi, idest proprietatis, si res nullius sit, sufficit sola rei apprehensio animo faciendi illam suam: *Quod enim nullius est, id ratione naturali occupanti conceditur* (lib. 3. *de acquir. rer. dom.*); nisi aliter speciali aliqua lege, vel consuetudine statutum sit. Si vero res habeat dominum, jure quidem naturae sufficeret mutuus consensus signo externo expressus; sed jure positivo requiruntur ordinarie titulus, et traditio, ex l. ajente: *Traditionibus do-*

minia rerum, non nudis pactis transferuntur. Ita lib. 20. Cod. de pactis. Et lib. 31. §. *de acquir. rer. dom.* additur: *Numquam nuda traditio transfert dominium, sed ita si venditio, aut aliqua justa causa praecesserit, propter quam traditio sequeretur.* Definitur proinde titulus *radix, seu fundamentum dominii*; sive *ratio, et causa, propter quam dominium alicui competit*: ac triplex distinguitur; verus nempe, estque *ille, qui a parte rei subsistit, et est vera radix dominii.* Coloratus, estque *ille, qui bona fide creditur esse verus, licet ob latentem aliquem defectum talis non sit.* Praesumptus, estque *ille, quem jus ob temporis diuturnitatem intervenisse supponit, cum tamen forte non intervenerit.* Diximus porro, quod *ordinarie acquiratur dominium per traditionem*; haec enim non requiritur 1.° in haereditate, cujus dominium acquiritur sola acceptatione haereditatis (lib. 23. §. *de acquir., vel amitt. poss.*). 2.° in legato, cujus dominium acquiritur ubi primum haeres haereditatem adiit (lib. 66. §. *de furt.*). 3.° in beneficiis, in quibus jus in re per solam collationem, et acceptationem acquiritur. 4.° cum aliquid datur, aut venditur Civitatibus, Ecclesiis, aut aliis piis locis ob speciale privilegium. Dominium demum comitatur, vel subsequitur possessio: quae duplex distinguitur, scilicet facti, et juris; ac prima definitur: *Detentio rei corporalis corporis, animi, jurisque adminiculo.* Altera vero *jus insistendi in re non prohibita possideri.*

218. Tribus autem modis, ut DD. docent, dominium acquiritur; scilicet jure naturali, seu gentium,

jure positivo, ac privata hominum voluntate per contractus. Quomodo per hos acquiratur, fuso calamo est agendum, ac suo loco, quantum satis est, dicetur. Acquiritur vero jure naturali, seu gentium 1.° *occupatione*, si res nullius sit. Animalia autem sunt nullius, si redeundi ad primum dominum consuetudinem amittant, ut pisces, columbae etc.; vel sit difficilis eorum prosecutio, ut examen apum ab aliquo alveario avolans, quod difficile sit sequi, et recuperare. Hinc animalia mansueta, et domestica, quantumvis aberrent, semper remanent prioris domini: quorum aliquod proinde si in agro suo quis deprehendat, *sic illud expellere debet, quomodo si suum deprehendisset, quoniam si quis ex ea re damnum coepit, habet proprias actiones.* (l. 39. ff. *ad l. Aquil.*). Sunt etiam nullius bona derelicta, ea scilicet, *quae dominus ea mente abjicit, ut in numero rerum suarum esse nolit* (ff. penult. instit. *de rer. divis.*). Hinc bona naufragorum, vel quae oborta tempestate levandae navis causa in mare dejiciuntur, nequeunt dici derelicta, cum recte praesumatur, dominum cupere ea remanere in bonis suis, quantum fieri potest: cui proinde sunt omnino restituenda, cum recuperantur (Inst. §. 48. tit. 1., et Auth. *Navigia C. de furtis*), ubi etiam reprobatur omnis contraria consuetudo. Neque etiam dici posse bona derelicta res, quae casu inveniantur; quarum proinde si post prudentem diligentiam non inveniatur Dominus, impendendas eas esse in pauperum, vel piorum locorum usus, docet valde communior sententia cum Catech. Rom., et D. Carolo Borr.; quia haec praesumitur

esse Domini voluntas. Verior tamen, et sequenda sententia, ut eam vocat Lig. (l. 3. n. 603.), utque eam vocat Card. Gotti, valde probabilis, et in conscientia tuta (t. 2. tr. 13.); docet, quod cum post debitam diligentiam nec inventus fuerit dominus, nec spes affulgeat illum inveniendi, utique etiam haberi possunt, ut bona derelicta, atque ab eo, qui illas invenit, retineri: tum quia idem videtur, ac valet non habere dominum, et non apparere: tum quia jus gentium tribuit privatis dominium rerum non ad aliud, quam ut illis utantur: ex quo sequitur, quod cum est impossibile rem pervenire ad ipsorum usum, bene haberi potest, ut derelicta, et nullius; utque redita ad primaevum jus naturae, fit primi occupantis sine ulla obligatione. In qua sententia fuisse etiam D. Th., patet ex 2. 2. qu. 66. art. 5. ad 3. Excipiendus tamen est qui debito tempore omiserit diligentiam inquirendi Dominum, ex ejus enim omissione constitutus fuit possessor ex delicto: quare si dominus non compareat, tenetur rem erogare pauperibus, cum aequum non sit, ut commodum ex iniquitate sentiat. Sicut etiam casus, si res inventa sit Ecclesiae, et non constet, cujus Ecclesiae sit: quia tunc tradenda est Praelato Ecclesiastico, vel in alios Ecclesiae usus convertenda, quod enim semel Deo dicatum est, ad usus humanos ulterius transferendum non est (C. 51. *de reg. Jur in* 6.). Bonis tamen derelictis thesauros accensendos esse, commune est apud DD., a quibus proinde definitur thesaurus: *Vetus quaedam depositio pecuniae, vel similis rei, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat* (l. 32. §. *de*

acqu. rer. dom.). Hinc jure naturae sunt inventoris. Jure tamen civili Rom., si inveniantur in loco proprio sine magicis artibus, sunt quoque inventoris. Si in loco alieno, et fortuito, dimidium inventoris, et dimidium domini fundi. Quod si data opera fuerint quaesiti in fundo alieno, omnino sunt Domini, et inventor puniendus. Si in loco publico, vel sacro, dimidium fisci, vel Praelati, et dimidium inventoris. Si demum arte magica, omnino sunt fisci, sive in proprio, sive in alieno fundo inveniantur. Jure demum Neap. omnes sunt fisci, ut docet Hyac. Stampò: addens simul, quod ubi lex viget, quae thesauros ubicumque repertos fisco applicat, eam non obligare in conscientia, antequam exigantur, docet Bannez. Quid tamen dicendum, si quis ante emptionem alicujus fundi sciverit, sed nondum effoderit thesaurum? Acquirit ne juxta jus Rom. totius thesauri dominium? Procul dubio: idque insinuatur in parabola, quae habetur apud Matth. *Simile est Regnum Coelorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo etc.* Cujus ratio est, quia illum post emptionem in proprio fundo invenit, et effodit. Nec tenetur pretium agri augere, quia thesaurus latens nec fructus est, nec pars substantiae agri.

219. Acquiritur ergo, ut dictum est, dominium jure naturali, seu gentium 1.° *occupatione*, si res nullius sit. 2°. etiam *nativitate*, per quam fiunt propria, quae nascuntur a propriis animalibus. 3.° *alluvione*, latenter tamen, et sensim. 4.° *specificatione*; cum res nempe in alienam speciem mutatur, ut cum ex lana fit pannus. 5.° *per accessionem*, ut pictura domi-

6.° *per confusionem*, seu *commixtionem*; quod tamen intelligendum, quando major pars sit miscentis; secus si minus vel aequalis, quia tunc totus cumulus communis erit. Quod et valet, si commixtio casu, vel consensu Dominorum facta fuisset. 7.° *Aedificatione*, ut qui de aliena materia in suo fundo aedificat. Qui autem in alieno solo scienter aedificat, Domino soli aedificat, et si id egerit mala fide, materiam perdit. 8.° *plantatione*. Quod si planta prope confines fundi alieni posita in illum jecerit radices, fit communis. Quos omnes modos acquirendi dominium quisque videt reduci posse ad *accessionem* ex reg. generali, quod *accessorium sequitur principale*: 9.° *perceptione fructuum*, si facta sit bona fide, et fructus sint consumpti. Demum *traditione*, per quam dominus velit in alterum transferre suae rei dominium.

220. Jure autem positivo acquiritur dominium per *praescriptionem*, quam vocant etiam DD. *usucapionem*; quae definitur: *Acquisitio dominii per possessionem bonae fidei continuatam tempore per legem definito*. Quatuor tamen conditiones requiruntur: 1.° *Bona fides*. Si tamen inchoata possessione, prudenter credendo rem esse propriam, suboriatur deinde dubitatio, non cessat praescriptio, si debita diligentia adhibita, an res sit aliena, dubitatio supersit. 2.° *Titulus justus*, puta emptionis, donationis, etc., sive reapse existat, licet ex aliqua circumstantia invalidus, qui dicitur coloratus; sive praesumatur praecessisse, qui dicitur praesumptus. 3.° *Possessio continuata per tempus a lege praescriptum*. Qua super re sancitum est, quod cum titulo colorato res mobilis

triennio praescribitur: absque ejusmodi titulo non praescribitur, nisi post annos triginta. Idem quoque tempus, triginta annorum scilicet, requiritur ad praescribenda bona immobilia privatorum sine titulo: quae cum titulo colorato praescribuntur post annos decem inter praesentes, et viginti inter absentes. Praesentes autem dicuntur, *qui in eadem habitant Provincia, etsi in diverso oppido*: ac duo anni absentiae numerantur pro uno praesentiae. Si tamen res immobiles sint minoris, praescribuntur post annos triginta: si alicujus loci pii, post annos quadraginta: si Ecclesiae Romanae, post annos centum: ac jure Neap. nonnisi etiam post annos centum praesumitur titulus in Regalibus, et Feudalibus. Nomine demum immobilium intelliguntur etiam jura, et actiones ad immobilia; nec non beneficia, census, redditus, jus patronatus, ususfructus, et servitutes, cum omnia haec fixa maneant, et immobilium instar fructum, et commoditatem adferant. Tam triennalem tamen, quam decemnalem praescriptionem impedit ex communi sententia ignorantia juris clari: ut si acceperis ex gr. aliquid a pupillo sine tutoris auctoritate, invincibiliter ignorans eam requiri. Secus ignorantia invincibilis facti, quae non impedit praescriptionem, ut si ignores eum esse pupillum, ex l. 4. §. *de juris, et facti ignorantia*, ubi ita dicitur: *Juris ignorantiam in usucapione negatur prodesse*; *facti vero ignorantiam prodesse constat.* De ignorantia autem invincibili juris dubii controvertitur. Immo juxta multos ignorantia ipsamet invincibilis juris clari non obest praescriptioni triginta, vel quadraginta annorum, cum jura

loquantur de praescriptione ordinaria, quae tribus, vel decem, vel viginti annis expletur, cum illa sola, ait Lessius, cognita sit jure Digestorum, unde jura citata desumpta sunt. Quarta demum conditio, quae ad praescriptionem requiritur, est, quod res *sit apta praescribi.* Nequeunt enim praescribi res publicae, jura spiritualia, res furtivae respectu furis, nam bona fide acceptae a fure praescribuntur post annos triginta inter praesentes, quadraginta inter absentes. Excipitur tamen haeres furis, cum haeres censeatur una, eademque persona cum testatore, ex inst. *de usucap.*, et l. 11. *de divers. temp. praescr.*, ubi dicitur: *Cum haeres in jus omne defuncti succedit, ignoratione sua defuncti vitia non excludit.* Nec demum praescriptioni subjacet debitorum solutio, sed qui certus est non solvisse, semper ad solvendum tenetur. Facta autem praescriptione praefatis praedita conditionibus, acquiritur dominium etiam in foro conscientiae, cum bene possit potestas publica de bonis privatorum disponere, ac dominia transferre absque consensu, et culpa prioris domini, quando id postulet bonum commune. Porro ob bonum commune introductam fuisse praescriptionem, patet ex multis legibus civilibus ab ipso jure canonico approbatis, quae sine ulla limitatione, ac distinctione dicunt: *Bono publico usucapionem introductam esse, ne scilicet quarumdam rerum diu, et fere semper incerta dominia essent* (l. 2. §. *de usucap.*). Hinc tuta conscientia retineri potest res legitime praescripta, tametsi postea cognoscatur fuisse alterius, nisi prior dominus per judices restituatur in integrum, quod conceditur *Minoribus*, qui

habent jus eam petendi toto quadriennio a die, quo majores facti sunt; nec non *Ecclesiis*, *et aliis piis locis*, quibus idem jus conceditur per quadriennium a die, quo Ecclesia novit praescriptionem bonorum suorum ex c. 1. *de rest. in integr. in* 6.; ac demum etiam *Majoribus* in praescriptione 10., aut 20. annorum, modo probent intra 4. annos, postquam illam sciverint, vel sine sua negligentia, vel cum sua ignorantiâ evenisse: in quibus casibus subintrat obligatio res praescriptas restituendi post Judicis sententiam.

221. Huc demum sermo spectat de dominio filiorum familias, uxorum, et Clericorum. Et quoad 1.^{m}, distinguuntur eorum bona in castrensia, quasi castrensia, adventitia, et profectitia. Primi generis sunt, *quae filius ex militia, vel ejus occasione acquirit*. Secundi generis, *quae acquirit ex officiis publicis*, ex gr. Judicis, Medici, etc.; *vel professione alicujus artis liberalis*, *vel ex Beneficio Ecclesiastico*, *vel quod illi advenit post Clericatum*, *etiamsi alias esset adventitium*, ut expresse habetur in auth. *Presbyteros* Cod. *de Episc.*, *et Cler.*: *vel demum illi datur*, *ut sit tamquam castrense*; seu ut ipse dumtaxat, excluso patre, habeat usumfructum. Et bona autem primi ,et secundi generis, sunt omnino filiorum et quoad proprietatem, et quoad usumfructum. Tertii generis dicuntur, *quae filio proveniunt aliunde*, *quam ex paternis bonis*, *aut ex patris intuitu*; ut, ex gr., ex successione in bona materna, ex amicorum donatione, ex operibus artificialibus, etc. Horum autem proprietas spectat ad filium, ususfructus tamen ad Patrem: quem caeterum aliquando

acquirit filius, cum nempe tantum ususfructus illi donatur, quia ususfructus alium usumfructum non habet; vel res aliqua illi donatur, contradicente Patre; vel si filius una cum Patre succedit in haereditatem fratris, vel sororis in bonis adventitiis, tunc enim pater non acquirit usumfructum in parte, in qua filius succedit: quae omnia constant ex lege *cum oportet*, Cod. *De bonis, quae liberis.* Cum tamen haec sint de jure communi, et consuetudines patriae aliquando aliter disponant, hinc semper hae sunt consulendae. Quarti generis demum dicuntur, *quae proveniunt filio ex facultatibus paternis, ac quae filius lucratur ex ipsis negotiando*: ex quibus quae filio proveniant ex facultatibus paternis, certe sunt Patris et quoad proprietatem, et quoad usumfructum. Quae vero filius lucretur ex ipsis negotiando, erunt Patris, si ejus nomine negotietur; secus, si proprio nomine, puta, ait Lig., si ipse furatus sit pecuniam a Patre, vel si pecunia otiosa erat apud Patrem ac multo magis, si extra domum Patris negotietur ex alienis bonis (l. 3. n. 488.). Docet hic Pontas, quod si filius in domo Patris aliquid lucratus fuerit ex ejus bonis, ejusque nomine negotiando; pertinet quidem ad patrem lucrum illud, tamquam profectitium, quia ex pietate debet Patri servitia hujusmodi: si tamen vel expresse, vel tacite protestetur salarium velle, nec teneatur patrem alere, quia non indiget, in partem quoque hujus lucri habet jus, utpote quod non omnino profectitium, sed mixtum ex profectitio quoad bona paterna, et adventitio ratione proprii laboris. Bona autem adventitia pertinent ad filium; qui consequenter si clam surri-

piat summam labori suo respondentem, eam retinere potest (V. *Compensatio* cas. 6.). Sed cum Lig. negandum : cum enim sententia opposita sit valde probabilis, immo probabilior, quia secundum jura filius debet Patri suas operas, et industrias, et quidquid ex bonis paternis acquirit, Patri acquirit; hinc si Pater neget illi salarium, vel filium pudeat illud petere, minime potest filius occulte illud sibi compensare, cum compensatio non sit licita, nisi ubi jus est certum (l. 3. n. 544.). Habetur quidem ex L. penult. ff. *de obsequ. parent. praeb.* : *Pietatem liberi parentibus, non operas debent*: id tamen dicitur, ut patet ex contextu, de filiis emancipatis : vel intelligendum tantum, nisi parentes sint pauperes, et agatur de operibus artificialibus, ex quibus, ut supra diximus, lucrum, quod filius reportet, est adventitium, ac proinde hoc quidem potest sibi compensare post patris obitum, si hic non indigebat, deductis tamen alimentis a patre susceptis, quia pater non tenetur filium alere habentem propria; non vero quod lucratus fuerit ex bonis paternis, ac patris nomine negotiando. Et sane quid absurdius, quam quod parentes nequeant, nisi mercede constituta, filios domesticis curis impendere, nec ab iis gratis exigere, quod in alenda, et levanda familia ipsis auxilientur?

222. Pauca nunc de bonis uxorum dicenda sunt, quod nempe distinguuntur in *dotalia*, et *paraphernalia*. Quae scilicet in dotem attulit, *dotalia* dicuntur. Quae vero attulit, vel sibi reservavit ultra dotem; sicut etiam quae post contractum matrimonium acquirat sive donatione, sive legato, sive alia ratione, dicuntur *parapher-*

nalia. Quibus positis: horum tantum habet plenum dominium, et usumfructum. Dotalium vero proprietas ad illam spectat; ususfructus, et administratio ad maritum. Quod si dos in pecunia consistat, vel in aliis rebus, quarum usus est consumptio, dominium quoque est viri, cum obligatione tantumdem restituendi, matrimonio soluto; nec non cum obligatione in hoc casu, quod si dos perit, ipsi, idest viro, perit. Addit Molina: *Si uxor laboriosa, atque industriosa sit, nihilque subtrahendo de iis, quae ad competentem suae familiae administrationem ex suo opere, et labore necessaria sunt, aliquid insuper lucretur acu, aut quocumque alio labore, et industria, potest de ejusmodi lucro facere eleemosynas, et donationes, etiam invito viro, quoniam tale lucrum suum est quoad dominium, et administrationem* (De just. et jure disp. 274. n. 6.).

223. De Clericorum bonis sermonem modo instituamus. Distinguuntur eorum bona a DD. in patrimonialia, *quae nempe habeant ex paternis bonis, vel ipsis obveniant ex quacumque causa profana*. In quasi patrimonialia, seu industrialia, *quae nempe acquirant ex Ecclesiasticis functionibus praecise a Beneficio*, ut ex concionibus, Missis, etc. In mere Ecclesiastica, *quae scilicet ipsis obveniant ex Beneficio*. Ac demum in parsimonialia, *quae ex redditibus Ecclesiasticis subtraxerint de propria sustentatione, parcius vivendo, quam honeste vivere potuissent*. Quibus positis; Primi, secundi, et quarti generis bonorum habent Clerici plenum dominium; et bona enim parsimonialia, de quibus tantum quaestio fit, non sunt fructus Beneficii, sed stipendia laborum. Cum tamen praecipiat

Trid., ut Episcopi (eoque magis caeteri Beneficiarii) *modesta suppellectili, et mensa, ac frugali victu contenti sint* (sess. 25. c. 1. *de reform.*), juxta hujusmodi regulam esse debent parsimonialia; ita ut si vere non fuerint sublata *e modesta suppellectili, et mensa, ac frugali victu*, nec etiam dicenda sunt parsimonialia, de quibus possint pro libito disponere. Idem quoque dicendum juxta probabiliorem sententiam de distributionibus quotidianis, cum neque etiam dentur titulo Beneficii, sed pro servitio personali, seu personae stipendio. Quoad bona tamen mere Ecclesiastica, omnes quidem DD. conveniunt, posse ex iis Beneficiarios congruam sustentationem accipere, etiamsi aliunde sint divites, cum omnino sit consonum ipsi rationi naturali, ut qui Altari servit, de Altari vivat, ex dictis l. 2. n. 99. Per accidens autem est, quod sint divites, vel pauperes. Excipit tantum D. Th., si casus occurreret, quod pauperes essent in gravi necessitate, in qua *peccaret Clericus* (ita S. D.), *si vellet de rebus Ecclesiae vivere, dummodo haberet patrimonialia bona, de quibus vivere posset* (2. 2. qu. 185. a. 7. ad 3.): quia tunc, ut addit Lig., jam habens superfluum statui, pauperi graviter egenti succurrere tenetur (l. 3. n. 491.).

224. Quod tamen supersit congruae sustentationi, sub gravi tenentur Beneficiarii, ut illud expendant in pauperes, vel alios pios usus. An vero ad id teneantur ex charitate, ac Religione, vel etiam simul ex justitia, id acriter inter DD. controvertitur. Negant gravissimi DD., inter quos D. Anton., Salm., Molina, Cabass., Viva, Anacl., Lugo, aliique. Cum

enim, inquiunt, Simplicius Papa, anno 465. Pontifex creatus, fructus bonorum Ecclesiae in quatuor partes distribuerit, primam applicando Episcopis, secundam Clericis, tertiam fabricae Ecclesiae, quartam pauperibus, ut constat ex C. *De redditibus*, 28. caus. 12. qu. 2.; quod deinde confirmavit et Gelasius, ut constat ex C. *concesso*, et Greg., ut constat ex C. *Cognovimus* 29. dist. cap. 12. qu. 2.; hinc post ejusmodi divisionem utique habent Clerici illorum bonorum dominium, quae ab Ecclesia fuerint ad eorum usum deputata. Accedit Trid., ubi de Beneficiario horas canonicas omittente, sicut etiam de non residente ait, quod *non faciat fructus suos* (sess. 23. c. 1., et sess. 24. c. 12. *de reform.*). Bene igitur suo munere fungentes suos illos faciunt; eorum nempe dominium acquirunt. Addit Cabass., quod cum Fundatores Beneficiorum libere, et absolute dederint Clericis eorum fructus, quomodo dici potest, eorum obligationem erogandi superflua in usus pios esse de lege naturali justitiae? Tantum igitur de lege Ecclesiae, quae ex charitate, et Religione illos obligat, ut superflua in usus pios impendant, utpote bona Deo dicata, et ex pietate donata. Quod si testatores, qui illa Ecclesiae reliquerunt, noluerunt profecto, ut Clericorum luxui deservirent, iisque conjunctos ditarent, non ideo tamen est censendum, quod secus facientes voluerint ad restitutionem illos obstringere: quemadmodum quicumque testator neque etiam vult, ut haeres dissipet bona illi relicta; quae tamen si dissipet, non ideo peccat contra justitiam, et ad restitutionem tenetur. In qua demum sententia fuisse

D. Th., negari non potest, ita enim S. D. in Quodlib. 6. *Aliter dicendum est de illis Ecclesiasticis bonis, quae principaliter sunt attribuenda necessitatibus pauperum, et ex consequenti necessitatibus Ministrorum, ut sunt bona Hospitalium etc. Et aliter de illis bonis, quae principaliter sunt attributa usibus Ministrorum, sicut sunt Praebendae Clericorum, et alia hujusmodi. Nam in primis bonis peccatum committitur non solum ex abusu, sed etiam ex ipsa rerum conditione, dum alius in suos usus assumit quod est alterius; et ideo tenetur ad restitutionem, tamquam defraudator rei alienae. In secundis tamen non committitur peccatum, nisi per abusum: sicut et de bonis Patrimonialibus dictum. Unde non tenetur quis ad restitutionem, sed solum ad poenitentiam peragendam* (art. 12. ad 3.). Addit quidem, quod eorum *non sunt Clerici veri domini, sed dispensatores. Pertinet autem ad dispensatorem, ut fideliter ea, quae dispensationi ejus committuntur, distribuat* (ibid.). Quo sensu tamen intelligendus est S. Doctor, modo illum sibi ipsi opponere nolimus, nisi quod eorum non sunt domini, quia sub gravi tenentur ex Charitate simul, et Religione totum id, quod superest eorum congruae sustentationi, in pauperes, ac pios usus impendere? Quibus perpensis, negari nequit, hanc sententiam esse satis probabilem, ut eam vocat Lig., maxime ex D. Th. auctoritate (l. 3. n. 492.).

225. Communior tamen docet, ad id teneri etiam ex justitia, ideoque secus facientes teneri ad restitutionem; ut nempe tantumdem ex patrimonialibus in pios usus impendant, quantum ex Ecclesiasticis in

profanos abusi sunt. Et sane nihil argui potest pro sententia opposita ex divisione bonorum Ecclesiae facta a Simplicio, tum quia ob eam non amiserunt rationem bonorum mere Ecclesiasticorum, idest Deo oblatorum, de quibus proinde nequeunt, nisi pii usus fieri; tum quia Ecclesiae data subinde sunt alia bona, de quibus nulla facta est ejusmodi divisio. Nihil etiam argui potest pro eadem ex verbis Trid., quod Beneficiarii bene suo munere fungentes *faciunt fructus suos*; quod enim tantum intelligendum sit, quod *faciunt fructus suos*, quantum satis est ad eorum congruam sustentationem, ex ipsis Concilii verbis aperte colligitur: *Quos ratione etiam praebendae, ac residentiae fecit suos.* Ubi notandum *quos.* Non igitur omnes, nisi cum onere superfluos in pauperes, ac pios usus expendendi. Accedit, quod cum ipsum Trid. non aliter Beneficii bona appellet, quam *res, quae Dei sunt*; ob quam rationem *omnino interdicit, ne ex redditibus Ecclesiae consanguineos, familiaresve suos augere studeant* (sess. 25. c. 1, de ref.): quomodo igitur Beneficiariis plenum, et absolutum illorum dominium potuit attribuere? Quod demum fundatores obligationem justitiae illis imposuerint superflua in pios usus impendendi, recte ex eo praesumitur, quod ejusmodi bona Deo dicaverint. Eorum igitur voluntas, quam ex justitia sequi oportet, non fuit, nisi ut in pios usus impendantur.

226. Id autem confirmat canonum, ac PP. auctoritas: *Res Ecclesiae, non quasi propriae, sed ut communes, et Domino oblatae, cum summo timore non in alios, quam in praefatos usus pios sunt dis-*

pensandae; ita Urbanus I. (Qu. I. c. *Res Ecclesiae*): *Episcopus, et Praelatus Ecclesiasticarum rerum est Procurator, non Dominus*; ita Alex. III. (c. 2. *de donat.*). *Rapina pauperum in domibus Sacerdotum, qui Ecclesiae opes sibi thesaurizant, et sibi reservant, vel propinquis distribunt*; ita D. Hieron. (In c. 3. Is.). *Quidquid praeter necessarium victum, et simplicem vestitum de Altari retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est*; ita D. Bernardus (ep. ad Fulconem). Hinc concludit Ludovicus Habert: *Audiant Beneficiarii, quibus satis non est de altari vivere, nisi luxurientur, et in pompam Diaboli convertant bona Crucifixi. Quod et audiant Laici, qui existimant, jure haereditario sibi deberi bona Ecclesiastica consanguineorum, contra id, quod Scriptura intonat: Sancta Sanctorum sunt. Nullus profanus ex eis comedet. Qui comederit, morte morietur. Timeant, ne sicut virga Moysis extra manus ejus conversa in colubrum, devoravit virgas sapientum Aegypti; sic bona illa Deo dicata in manibus suis absumant etiam patrimonialia, quae juste, et licite possident. Fiant prudentes aliorum exemplo; quis enim non vidit, substantiam Laicorum ex bonis Ecclesiasticis conflatam subito evanuisse, ita ut vel in prima, vel in secunda generatione homines alioquin ex bonis patrimonialibus satis ditati, ad extremum inopiam fuerint redacti? Quid ita, nisi quia contempserunt illud oraculum: Non sunt miscenda sacra profanis* (De just. et jure cap. 21.)?

227. Demum valde refert ad praxim animadvertere, quod in hoc, ut materia censeatur gravis, requi-

ritur quantitas multo major, quam in furto: atque Lig. cum Lugo, Croix, et Mazz. existimat, sufficit ad eam constituendam pars superfluorum vigesima (l. 3. n. 491.).

CAPUT II.

De Furto.

228. Definitur furtum *occulta, et injusta rei alienae ablatio, invito rationabiliter Domino*: atque a rapina distinguitur per apertam, et violentam rei ablationem, quae rapinam constituit. Distinguitur item in simplex, et qualificatum. Primum est jam modo definitum. Qualificatum vero est quatruplex, sacrilegium nempe, per quod intelligitur *furtum rei sacrae, vel in loco sacro factum*: peculatum, idest *furtum rei ad publicum aerarium pertinentis*: plagium, quod est *surreptio alieni servi, vel hominis liberi*: et abigeatum, per quem intelligitur *abductio alienorum pecorum.*

229. Quibus praemissis: quod in gravi necessitate non liceat surripi alienum, certum est; ac prop., quae contrarium ajebat, proscripta fuit ab Innoc. XI., quam enim lata innumeris furtis pateret via, si id liceret? Quam facile homines sibi suaderent, gravi necessitate laborare? Bene autem id licet in necessitate extrema, vel quasi extrema; divisio enim bonorum facta est jure gentium, quo non poterat derogari naturali juri, quod quisque habet sibi providendi in id genus necessitate per bona a Deo

naturae concessa. Ex quo cum sequatur, quod *per talem necessitatem* (ut etiam D. Th. ait) *efficitur suum id, quod quis accipit* (2. 2. qu. art. 7. ad 2.); hinc extreme indigens necesse non habet, ut id petat; et etiamsi res sit magni valoris, modo de ea sit in necessitate extrema, et modo dominus per talem ablationem non constituatur in aequali necessitate, potest nihilominus eam surripere. Tali autem necessitate cessante, non tenetur rem ablatam restituere, si cum rem abstulit, ita erat pauper ut nulla bona aliunde haberet nec in re, nec in spe. Quod si spem hujusmodi habebat, rem in necessitate consumptam tenetur postea restituere; cum enim necessitas, in qua versabatur, etsi extrema, non fuerit tamen simplex, et absoluta, hinc solum dabat jus accipiendi rem alterius, sed cum onere restituendi. Quid vero dicendum de viro honorato, quem valde puderet mendicare, vel laborare? Posset ne scilicet in tali necessitate sibi ex alienis providere? Negant Salm. cum Soto etc., dicentes, hanc potius judicari necessitatem gravem, quam extremam, cum bona temporalia ordinentur ad vitam, non ad honorem servandum. Affirmat tamen, idque probabilius vocat Lig., si pudor mendicandi esset tantus, ut potius ille mortem subire vellet, quam mendicare (l. 3. n. 520.). Dives tamen omittens pauperi subvenire in extrema necessitate, affirmat quidem Conc., quod tenetur postea ad damna inde obvenientia, quia pauper jus tunc habet ad bona divitis, ac proinde illi dives non subveniendo, peccat contra justitiam. Negat tamen probabilius Lig.: 1.° quia licet in tali

necessitate constitutus habeat jus ad bona aliena, eorum tamen dominium non acquirit, cum tantum quoad usum, non quoad dominium communia tunc evadant. 2.° quia sicut ante divisionem bonorum, quoniam omnia erant communia, quisque poterat ex eis accipere necessarium, sed nullus tenebatur ex justitia alicui illud dare: ita in extremae necessitatis casu, cum omnia tunc fiant communia, potest pauper alienum accipere, sed nemo illi tenetur ex justitia illud dare: ideoque, nisi impediat, sed tantum negligat dare, non tenetur postea ad damna inde obvenientia (l. 3. n. 520.).

230. Porro quod furtum sit ex genere suo mortale, de fide est, testante Ap., ubi ait: *Neque fures, neque rapaces Regnum Dei possidebunt* (1. ad Cor. 6.). Ut sit tamen mortale, debet ejus quantitas esse vel absolute, vel respective gravis. Dicitur absolute gravis, *quae secundum se spectata notabilis est, paritque notabilem utilitatem.* Respective vero, *quae licet in se non sit magni momenti, Domino tamen grave incommodum affert*; cujusmodi censetur auferre alicui vel quantum satis esset pro una die ad sui, suaeque familiae sustentationem, vel quantum ei afferret unius diei stipendium. Primum, quia victus diurnus cum tota familia notabilem parit utilitatem, atque ab ejus privatione incommodum oritur non leve. Alterum, quia est stipendium laboris gravis, quo quis portavit pondus diei, et aestus. Hinc pro praxi censet Lig., materiam gravem respectu *mendicantium* esse unum julium, seu carolenum, et minus, si aliquis pauper minus quotidie eleemo-

synis lucretur: respectu *fossorum*, et similium operantium duos julios; *pro artificibus* vero duos julios cum dimidio: respectu *mediocriter divitum* quatuor julios; et minus pro iis, qui ex propriis misere vivunt: *pro absolute divitibus* quinque, vel sex julios, eosdemque *pro mercatoribus valde opulentis*: respectu *Magnatum ditissimorum* unum aureum, eumdemque *pro Communitate valde opulenta*: respectu Regum duos aureos (l. 3. n. 528.). Committens tamen furta quidem minuta, sed cum animo furandi gravem quantitatem, graviter peccat quoties furatur, pro intentione graviter prava, cui substat quodvis leve furtulum. Sine tali intentione vero peccat etiam graviter, cum ad gravem quantitatem pervenerit: tum quia alioqui injustis mensuris vendentes, possent absque peccato mortali alienis ditari, contra illud Scripturae: *Non habebis in sacculo diversa pondera, majus, et minus, abominatur enim Dominus Deus tuus eum, qui facit haec* (Deut. 25.): tum quia praecepto non furandi non solum prohibetur proximum damnificare, sed ne quis etiam re aliena ditescat, idem namque est *non furaberis*, ac *alienum non auferes*. Hinc si quis ita objiciat: Praecepto non furandi prohibetur proximi damnificatio. At qui per minuta furta aliquid magnum surripuerit, neminem graviter damnificavit. Nec igitur graviter peccavit. Respondetur neg. maj.; non enim praecepto non furandi vetitum est dumtaxat proximum damnificare, sed ne quis etiam re aliena locupletetur. Dammata fuit proinde ab Innoc. XI. prop., quae ajebat: *Non tenetur quis sub poena peccati mortalis restituere quod abla-*

tum est per pauca furta, *quantumcumque sit magna summa totalis*. Ac solum, ut docet Lig., excusabitur a gravi peccato, atque etiam a veniali, modo adsit rationabilis causa, si, cum nemo fuerit graviter laesus, pauperibus restituat (l. 3. n. 534.). An autem, qui post completam materiam gravem adhuc quid leve furatur, leviter, an graviter peccet, valde probabiliter docet idem Lig., quod tunc novum grave peccatum committit, cum rursus ad aliam magnam quantitatem pertingit (l. 3. n. 538.).

231. Animadvertendum quoque est, in furtis minutis, quae eidem fiant per intervalla, aut diversis eodem tempore, requiri ad materiam gravem ex Lig., quantitatem dimidio majorem: immo si utrumque concurrat, requiri furtum duplo majus. Excipitur, si illa furtula ex industria fiant per partes, quia tunc per modum unius habenda sunt, ideoque ad materiam gravem sufficit, quod ordinarie requiritur. Qua super re docet etiam idem Lig., quod si inter furta minuta magnum intervallum intercedat, quale juxta eumdem esset duorum mensium interpolatio, probabiliter non coalescunt, nec proinde pariunt gravem restituendi obligationem (l. 3. n. 530.).

Caput III.

De restitutione in generali. Ac 1.° de obligatione, ac radicibus restitutionis.

232. Idem non furandi praeceptum, de quo dictum est c. ant., imponit quoque obligationem re-

stitutionis, postquam aliquid furatum fuerit, nisi impotentia excuset; omissio enim restitutionis virtualiter est continuata rei alienae acceptio, invito domino, ideoque furtum continuatum contra praeceptum *Non furtum facies*. Hinc Ap. ad Rom. 13. *Reddite omnibus debita. Nemini quidquam debeatis.* Utque addit D. Aug.: *Si res aliena propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur poenitentia, sed fingitur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum* (ep. 54.). Accedit, quod qui non restituit, cum potest, voluntarie nocet, facitque injuriam proximo, nam eum privat possessione, et usu rei suae, et violat jus, quod habet, ut rem suam possideat. Id autem ipsa lege naturali prohiberi, ac praesertim generali illa lege: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, nemo est, qui non videat. Advertit propterea D. Th., quod *praeceptum de restitutione facienda, quamvis secundum formam sit affirmativum, implicat tamen in se negativum praeceptum, quo prohibemur rem alterius detinere* (2. 2. qu. 62. art. 8. ad 2.). Ex quo sequitur, quod obligat semper, et pro semper, cum numquam liceat rem alienam detinere, invito rationabiliter Domino. Quid agendum tamen si Dominus sit incertus, et adhibita diligentia inveniri nequeat? Resp. Lig., quod cum cognoscitur, rem ad aliquos pertinere, sed nequit distingui, quis illorum in particulari sit Dominus, atque hi sunt pauci, tres nempe, vel quatuor, in hoc casu est res inter eos dividenda. Si vero sint plures, et ejusdem loci, ut ex. gr. magna pars incolarum oppidi, in hoc casu distribuenda est

illius loci pauperibus. Quod si domini sint variorum locorum, vel nesciatur cujus loci, distribui potest quibuscumque pauperibus. (l. 3. n. 590., et 594.).

233. His praemissis definitur restitutio *actus justitiae commutativae, quo reparatur ad aequalitatem damnum proximo illatum contra justitiam. Actus justitiae*; ex laesione enim aliarum virtutum nulla oritur obligatio restituendi. Et quidem *actus justitiae commutativae*; ex laesione enim tantum justitiae vel legalis, vel distributivae, vel vindicativae neque etiam ulla oritur obligatio restituendi, nisi cum laesione ejusmodi laedatur simul justitia commutativa, jus nempe aliquod vel in re, vel ad rem, quod proximus habeat. Patet autem ex tradita definitione, quod restitutio differt a satisfactione, utpote quae complectitur quamlibet reparationem pro offensa alteri illata in quolibet genere: ad quod accedit, quod satisfactio respicit personam, restitutio solum rem. Porro jus, quod proximus habet in sua bona, laedi potest vel *per injustam acceptionem*, vel *per injustam detentionem*, vel *per injustam damnificationem*, vel *per contractus injustos*. Hinc totidem quoque assignantur a DD. radices restitutionis, idest ex aliquo tantum ex quatuor numeratis capitibus obligatio oritur restituendi: et quidem gravis, si grave sit damnum proximo illatum, idque cum gravi culpa, non solum juridica, sed etiam theologica; quod fusius, et clarius explicandum est.

234. Intelligitur itaque per culpam juridicam *omissio debitae diligentiae, ex qua damnum secutum fuerit, etsi absque ullo peccato etiam veniali.* Quod si

diligentia, quae omissa fuerit, ea sit, *quam omnes adhibere solent*, culpa dicitur lata: si ea, *quam viri solum diligentes adhibent*, dicitur levis: si ea demum, *quam nonnisi diligentissimi adhibent*, dicitur levissima. Per culpam vero theologicam intelligitur *reatus conscientiam afficiens*, idest *peccatum omne*, *sive mortale*, *sive veniale.* His positis: In foro externo leges praecipiunt restitutionem cum sola culpa juridica: et quidem ex lata, si contractus cedat in utilitatem solius dantis, ut depositum: ex levi, si contractus cedat in utilitatem utriusque, ut locatio, pignus, societas, etc.: ex levissima, si contractus cedat in utilitatem solius accipientis, ut commodatum; excipitur enim precarium, quod ex lege obligat ex culpa lata. In foro autem interno obligatio restituendi non oritur ex culpa juridica, nisi adjungatur culpa theologica, praeterquam si aliter conventum sit, certum namque est, contrahentes posse utique se obligare ad restitutionem absque ulla culpa theologica. Subdit tamen Lig.: Obligantur ne tamen de facto? Idque valde probabiliter negat, quia, ut inquit, ex una parte non est aequum aliquem ad poenam gravem obligare absque sua gravi culpa; et ex alia non praesumitur, vel saltem non constat, quod aliquis voluerit se in conscientia obligare ad satisfaciendum damnum illatum cum sola culpa juridica. Leges autem, quae in contrarium afferuntur, obligantes cum sola culpa juridica, vel praesumunt culpam theologicam, vel obligant solum pro foro externo, vel non sunt in alio sensu receptae: sique aliae omnino praecipiunt in aliquibus casibus restitutionem, obligant

quidem istae, etiamsi absit peccatum; sed non ante sententiam Judicis (l. 3. n. 554.). Additque, probabiliter nec etiam in officiis teneri aliquem ad restitutionem ob eamdem rationem, nisi ex culpa lata conjuncta cum gravi culpa theologica. Tenetur enim ad diligentiam majorem communi, qui eam promiserit, vel recipiat stipendium, vel exerceat officium, quod de se exigat magnam diligentiam: ut tamen graviter teneatur ad restitutionem, semper necesse est, quod in omittenda illa majori diligentia graviter peccaverit (n. sequ.).

235. Rationes porro, quod in foro interno numquam obligatio restituendi oritur ex sola culpa juridica sunt 1.°, quia ut obligatio conscientiam oneret, requiritur, ut etiam culpa conscientiam afficiat. 2.°, quia ut dicitur cap. 2. *de rest*: *Rem, quae culpa caret, in damnum vocare non convenit.* 3.° quia ex nullo capite repeti potest restituendi obligatio, cum defuerit culpa theologica; nec scilicet ex injuria, quae nulla fit ab eo, qui damnum non intendit; nec ex re accepta, vel contractu, cum nihil horum extet, ut ponitur. Hinc etiam sequitur, quod ut obligatio restituendi sit gravis, necesse est, ut gravis quoque fuerit culpa theologica; tum quia si ex hac oritur, huic quoque adaequari debet: tum quia cum restitutio sit veluti poena, aut onus jure naturae impositum culpae contra justitiam, proportionem habere debet cum culpa, ideoque esse gravis in casu tantum, quod culpa fuerit gravis. Quaenam autem restituendi obligatio ex culpa levi theologica oriatur, respondent DD., quod si levitas peccati oriatur ex levitate mate-

riae, obligatio restituendi est sub levi. Si tamen levitas peccati oriatur ex defectu advertentiae, seu deliberationis, nullam esse obligationem restituendi, docet Lig., nec sub gravi, nec sub levi; tum quia culpa venialis ex indeliberatione non est simpliciter delictum, et injuria, et ideo parere nequit obligationem restituendi; sicut ex contractu, ubi plenus defuit consensus, et ex voto sine integra deliberatione emisso nulla oritur obligatio; tum quia gravis obligatio proportionem non habet cum culpa levi; levisque obligatio proportionem non habet cum materia gravi (l. 3. n. 552.). In dubio tamen, an culpa venialis, vel mortalis fuerit, censenda est mortalis, totumque damnum resarciendum, quia in dubio potior est conditio innocentis, quam delinquentis. Ob quam rationem etiam qui rem injuste accepit, dubitet autem, an materia restituenda sit gravis, vel levis, gravem debet restituere: quia nempe in dubio potior est conditio innocentis, quam delinquentis.

236. Interim priusquam suscipiamus agendum de singulis, qui ad restitutionem tenentur ob aliquod ex quatuor supra numeratis capitibus, praemittendum ducimus, quid generatim restituendum sit a possessore bonae, ac malae fidei, nec non quo modo, ac tempore, cujus expensis, ac periculo, et quo ordine restituendum sit, ac demum quae a restitutione excusent. Sit igitur.

Caput IV.

Quid restituendum est a possessore bonae, ac malae fidei.

237. Possessor bonae, vel malae fidei dicitur, *qui alienum inculpabiliter, vel culpabiliter possidet.* Hinc sequitur, quod cum possessor bonae fidei ad restituendum teneatur *ex re accepta*, tantum de re aliena restituere debet, quantum de ea possidet, vel quantum inde factus est ditior; et mensura restitutionis, cui obstringitur, est quantitas possessionis ex l. 1. Cod. *De petit. haered.*, ubi dicitur: *Fructus bonae fidei possessores reddere cogendi non sunt, nisi ex his locupletiores extiterint.* Immo nec id restituere tenetur, si vel praescripserit; vel id, in quo factus est ditior, sint fructus rei mere industriales, ut lucrum ex. gr. ex usu instrumentorum; vel ex pecunia negotiationi exposita, etc.: quos caeterum nec etiam possessor malae fidei restituere tenetur, cum hoc discrimine, quod possessor bonae fidei praedictum lucrum restituere non tenetur, etsi cessaverit Domino, cum ex una parte non fuerit culpabilis causa hujusmodi defectus, et ex altera obligari non possit ad restituendum, quod mera sua industria acquisierit: possessor vero malae fidei illud restituere tenetur, si cessaverit Domino, quia ob injuriam ei illatam reddere illum debet indemnem, idest reponere in eumdem statum, in quo fuisset, si nullam ei fecisset injuriam. Fusius tamen de possessore malae fidei.

238. Possessor igitur malae fidei, cum ad restituendum teneatur *ex injusta acceptione*, tantum restituere adstringitur, quantum Dominus ex ejus injusta acceptione laesus fuerit, sive inde aliquid habeat, sive non: et mensura restitutionis, cui est obnoxius, est quantitas damni illati. Hinc tenetur 1.° rem alienam reddere Domino, si extet; si vero non extet, ejus pretium. 2.° omne damnum emergens, et omne lucrum cessans Domino compensare. 3.° omnes fructus tum naturales, tum civiles, ut sunt pretia locationum, etc., tum mixtos, quos percepit, Domino restituere, quaelibet enim res Domino suo fructificat, deductis tamen expensis, quas etiam Dominus facere debuerat, et industria. 4.° si res aliena, dum injuste detinetur, deterior fiat, etsi accidat sine ipsius culpa, debet sarciri Domino. 5.° Restituere debet rem juxta incrementum penes ipsum a re factum, quamvis Dominus ad illum incrementi gradum eam non fuisset servaturus; immo etiam quamvis vendiderit, vel consumpserit rem, cum rursus ad pristinum statum redierat, atque in eo statu eam Dominus vendidisset, vel consumpsisset; cum enim, ut disserit Lig. contra Conc., res creverit, et culpabiliter tunc temporis illam non restituerit, damnum etiam illi illatum fuit juxta ejusmodi augumentum, juxta quod proinde illam debet restituere (l. 3. n. 621.). Advertendum demum, quod si res ablata apud ipsum pereat, non quidem injuste, nam qui praevenit furtum alterius, non desinit esse fur, sed sine cujuspiam culpa, eodemque tempore, ac periculo, quo aeque apud Dominum periisset, ut communi incendio, etc.,

a restitutione excusatur: justitia enim commutativa ad restituendum non obligat, nisi damnum effective accidat; nec furtum in praedicto casu fuit causa efficax damni. Nec quis dicat: Quomodonam extinguitur sine satisfactione restituendi obligatio ex injusta acceptione jam contracta? Eventu scilicet illius communis periculi, quo fit, ut nullum damnum ex furto eveniat Domino: cumque restitutio ad hoc debeatur, ut illatum damnum reparetur, nulla aderit proinde restituendi obligatio, cum nullum damnum illatum fuerit. Addit Lig. ob eamdem rationem, quod si fur rem consumpserit eodem loco, et intra idem tempus, quo jam praeviderit, rem apud Dominum aeque perituram, probabiliter nec etiam tenetur ad restitutionem: sicut etiam si transacto illo communi periculo, in quo aeque apud Dominum res fuisset peritura, illam non restituat, et postea pereat in alio simili periculo; exceptis tamen fructibus, quos interim Dominus ex re fuisset percepturus (l. 3. n. 620.).

239. Ad quid tamen tenebitur, si rem projecerit, putans valere decem, dum revera valebat centum? Resp. Lig., satis probabiliter teneri tantum ad decem; modo invincibiliter crediderit, rem non pluris valere, et ne in confuso quidem dubitaverit de reali ejus valore: cum enim non fuerit volitum damnum, quod non fuit cognitum, hinc quoad illum excessum defuit voluntas damnificandi. Accedit, quod cum ad restitutionem requiratur culpa theologica (n. 235.), ac talis sit culpa, qualis invincibiliter apprehenditur; sicut igitur culpa fuit, ut decem, ut decem quoque dicenda est obligatio restituendi (l. 3. n. 613.).

240. Quibus omnibus demum addendum est, quod restitutio ob aliquod, ad quod Dominus habebat jus in re, debet fieri ad aequalitatem *ipsius rei.* Ob aliquod vero, ad quod habebat jus ad rem, fieri debet ad aequalitatem *spei*, quam proximus habebat illius rei obtinendae.

CAPUT V.

Quo modo, ac tempore; cujus expensis, ac periculo; quo demum ordine restituendum sit.

241. Et quoad 1.^{m}, quomodo teneantur ad restituendum injuste proximum damnificantes, respondendum est distinguendo. Si quisque seorsim, nec ex condicto concurrerit ad proximi damnum, tenetur tantum ad id, quod per se damni intulit. Si vero inter se consentientes, vel se invicem juvantes fuerint, rursus distinguendum: vel damnum fuit quid individuum, ut cum homo occiditur, domus incenditur, etc.; et in hoc casu singuli tenentur in solidum, seu in integrum, cum singuli fuerint causa totius damni, sin minus totalitate causae, saltem totalitate effectus. Si vero damnum fuit quid dividuum, iterum subdistinguendum: quod si ita inter se consentientes, et sese invicem juvantes fuerint, ut singulis non concurrentibus, damnum non evenisset; in hoc casu singuli ob supra allatam rationem in solidum etiam tenentur. Si vero singulis non concurrentibus, etiam evenisset, solum ex multorum sententia tenentur pro rata, quia singuli fuerunt solum causa partialis illati damni. Hinc etiam Lig. probabiliter excusat a restitutione in solidum eos,

sine quibus damnum quoque evenisset, etsi istud fuerit quid individuum: cum enim obligatio restitutionis pendeat ab influxu, seu causalitate in damnum, major quoque dicenda non est obligatio, quam fuerit ipse influxus. Sive ergo damnum fuerit quid dividuum, sive quid individuum, sicut partialiter in praedicto casu quisque concurrit, ita et partialiter obligatur (l. 3. n. 579.).

242. Ex iis autem, qui tenentur in solidum, is primo loco ad restituendum tenetur, qui sic obligatur, ut eo restituente, caeteri fiant liberi; alio autem restituente, ipse eidem refundere teneatur. Is secundo loco, quo restituente, caeteri fiunt immunes, primo excepto. Is tertio loco, quo restituente, caeteri a restituendo liberantur, primo, et secundo exceptis: et sic de aliis. Hinc si condonatio fiat ei, qui primo loco tenetur ad restituendum, caeteri post ipsum a restitutione liberantur: tum quia caeteri in ejus tantum defectum restituere debent: tum quia damnum passus non potest pro libito efficere, ut hic, vel ille ad restituendum primo loco teneatur. Si vero condonatio fiat ei, qui secundo, vel tertio loco tenebatur restituere, anteriores, et magis principales non eximuntur, quia hi tenentur independenter a posterioribus. Qui autem primo loco ad restituendum tenetur, is est, penes quem res furtiva pervenit, sive haec extet, sive non: tum quia obligatio ratione rei acceptae est omnium maxima, cum res aliena semper clamet ad Dominum: tum quia rei restitutione facta ab eo, apud quem res pervenit, caeteri ab omni restitutione sunt liberi; quod non esset, nisi is primo loco ad resti-

tuendum teneretur. Diximus autem *sive res extet*, *sive non*; quod enim rem alterius consumpserit, nova fuit iniquitas, quae eum a restituendi obligatione eximere non potuit. Qui secundo loco ad restituendum tenetur, est qui mandavit, vel consilium dedit, utpote principalis damni causa, et se habens ad mandatarium, sicut causa primaria ad instrumentalem. Qui tertio loco tenetur, est executor. Recte tamen hic distinguit Lig. dicens, quod si consilium fuerit utile illud praebenti, tenetur primo loco consiliarius: secus, si soli executori. Si autem fuerit utile utrique, vel ex damno illato neutri utile evenerit, uterque tenetur pro rata (n. 560.). Quarto loco tenentur aliae causae positivae pro majori, vel minori cooperatione: atque hinc causae negativae. Advertendum tamen est quoad praxim quod ex Lig. diximus n. 67., quod rudes, etsi teneantur restituere in solidum, raro expedit eos ad id obligare, cum difficulter sibi persuadeant ad id teneri. Quinimmo satis praesumi potest, quod ipsi domini consentiant, ut restituant tantum partem ab iis ablatam, cum secus valde timendum sit, quod nihil restituant, si obligentur ad totum (l. 3. n. 579.).

243. Quandonam vero restituendum sit, quaestio est, cui etiam responderi debet distinguendo: nam si agatur de debitis ex contractu, solvenda haec sunt, cum fieri potest sine gravi incommodo, quod debitor pateretur in re propria ultra debitum: qua super re docent etiam Lugo, et alii, damnandum non esse de gravi culpa, qui differret solvere debitum ex contractu sine gravi damno creditoris, utpote cui gravem

injuriam non faceret: omnesque docent, quod si debitor habeat justam causam differendi, non tenetur postmodum ad compensandum creditori damnum ex dilatione ortum, cum nullam illi fecerit injuriam. Apposite etiam reg. 41. Juris in 6. *Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum.* Quod si agatur de debitis ex delicto, statim facienda est restitutio, modo expensae ad id necessariae non sint furto longe majores; eritque debitor obstrictus ad compensandum creditori damnum ex dilatione obveniens, utpote ex ejus injusta acceptione, ut quisque videt. Hujus autem ratio est, quia *praeceptum de restitutione facienda* (ut ex D. Th. diximus n. 232.), *quamvis secundum formam sit affirmativum, implicat tamen in se negativum praeceptum, quo prohibemur rem alterius detinere* (2. 2. qu. 62. art. 8. ad 2.). Ex quo sequitur, quod obligat semper, et pro semper, atque hinc quod restitutio statim facienda est. Addit Lig., quod si ei restituendi facultas fuerit, absolvendus non est debitor ex delicto, nisi prius de facto restituat, sicut non est absolvendus concubinarius, antequam concubinam abjiciat: experientia enim satis compertum est, quod post absolutionem rarissime restituunt, prout concubinarii rarissime concubinas dimittunt. Caeterum (subdit) possunt tales occurrere circumstantiae, ut Confessarius pro prima vice, et etiam pro secunda, et tertia solo restitutionis proposito contentus esse debeat (l. 3. n. 682.). Idem quoque sancitum fuit in quadam Synodo Neapolitana, a Gregorio XIII. confirmata, his verbis: *Caveant Sacerdo-*

tes, ne ante debitam restitutionem, ubi restituendi facultas fuerit, aliquem absolvant.

244. Diximus supra de hujusmodi debitoribus, quod statim restituere debent, modo expensae ad id necessariae non sint furto longe majores: an enim fur restituere debeat cum qualicumque suo damno, respondent DD., quod si expensae ad restitutionem necessariae rei pretium non excedant, ut si debens ex. gr. centum ex delicto non possit restituere, nisi adhuc et centum impendendo, tenetur cum ejusmodi damno rem Domino restituere; cum magis aequum sit, ut delinquens patiatur ejusmodi damnum, et amittat centum ex bonis suis, quam ut creditor innocens cogatur idem damnum pati, melior namque est in pari damno conditio innocentis, seu injuriam passi, quam nocentis, qui sibi imputare debet damnum illud, utpote ejus causa per injuriam. Quod et dicendum cum Lugo, etiamsi fur passurus sit damnum duplo majus, quod suae malitiae imputandum est. Si vero expensae ad restituendum necessariae sint duplo longe majores, quam res valeat, nullaque spes adsit, quod illam alio tempore possit Domino restituere minoribus expensis; in hoc casu, quia magna adesset inaequalitas, si restituere deberet quibuscumque sumptibus, satis erit eam in pauperes, vel alios pios usus impendere: cujus sententiae est etiam Glossa in cap. *Cum tu de usur.*; ubi dicitur fur non teneri rem mittere Domino, *si expensae deportationis excedant illius valorem.* (l. 3. n. 598.).

245. Nec solum suis expensis, etiamque paullo majoribus rei valore tenetur fur eam Domino resti-

tuere, sed sui ipsius quoque periculo; cum teneatur ratione injuriae dominum servare prorsus indemnem, ac si nullam ei fecisset injuriam, alioqui non reponeretur aequalitas, nec Dominus restitueretur in pristinum statum, ex quo injuste dejectus est, et ad quem jus habet. Hinc si rem ablatam illi mitteret per ipsum etiam Confessarium, vel alium virum fidelem, qui illam sibi retineret, eam rursus restituere teneretur: *Culpa enim praecedente* (ut dicitur c. ult. *de depos.*), *casus etiam fortuitus imputatur.* Et ex reg. 80. juris in 6.: *Damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare.* Quod proinde et valet, si Dominus sit certus, et Confessarius ei imposuerit, rem pro anima Domini pauperibus distribuere (Lig. l. 3. n. 705.).

246. Quod tamen supra dictum est, intelligi tantum debet de possessore malae fidei; possessor enim bonae fidei nec suis expensis, nec sui periculo tenetur rem Domino mittere, sed sufficit, ut eam restituat in loco, ubi illam possidet; cum enim nullam Domino fecerit injuriam, nullum quoque detrimentum subire debet. Ex quo sequitur, quod si res pereat in via, domino perit, modo tamen cum Domino non convenerit, se per talem nuntium eam ipsi remissurum, eamdemque committat alteri, a quo diripiatur, quia alteri dando, est in culpa. Si tamen hoc pactum non adfuerit, eamque remiserit per hominem, quem prudenter judicabat esse redditurum, ad nihil tenetur, si pereat, ex l. 20. §. *commodat.*, quia seclusis culpa, mora, et pacto, res perit Domino. Animadvertendum quoque, solutionem debitorum ex bonis debitoris hujus

periculo fieri; ita ut si pecunia eorum solutioni destinata surripiatur, ipsi perit, quia res perit domino; estque dominus suae pecuniae, donec creditori tradatur. Excipitur, si creditor miserit, vel designaverit hominem, cui pecuniam tradidisset: hic namque eam accepisset loco creditoris; ideoque eam amittendo, vel retinendo, damnum est creditoris, non debitoris; ex lege etiam 39. et 49. §. *de solut.*

247. En demum, quo ordine restituendum est, dummodo opes non sufficiant, ut omnibus creditoribus satisfieri possit; si enim praesto sint, nullus ordo servandus est, sed omnibus est dandum, quod ipsis debetur. Prius igitur satisfacienda debita certa, quam incerta, docet Card. Gotti, nam certa, inquit, debentur dominis jure naturae; incertà autem jure naturae redeunt ad statum pristinùm, in quo erant ante rerum divisionem factam de jure gentium, ac solum jure positivo pauperibus debentur, ex c. nempe *Cum sit de Judaeis*, *ex c. Quamquam de usuris*, *et ex c. Nemo*, *qui rapit*, 14. *qu.* 5., ne scilicet contingat, homines divitiis alienis ditescere, atque injustitiis aditus aperiatur. Sicut etiam prius restituenda esse, quae injuste sunt acquisita, ut per rapinam, furtum, vel usuram, quam ea, quae ex justo contractu debentur: et inter injuste acquisita prius quae furto, et rapina, quam quae per usuras sunt acquisita: 1.m tum quia rerum injuste acquisitarum debitor numquam acquisivit dominium, quod tamen acquisivit rerum, quas justo contractu accepit; tum quia, ut D. Th. disserit opusc. 73. c. 18., restituendo ablata, impletur justitia tollens injuriam fa-

ctam Deo, et proximo; in solutione vero debitorum nulla tollitur injuria, sed tantum solvitur justum. Prius igitur restituenda esse ablata, quam solvenda debita, consequens videtur. Alterum, quia major injuria est in rapina, et furto, quam in usuris, cum in his Dominus non fuerit omnino invitus.

248. Aeque tamen probabile censet Lig., quod cum res in specie non extat, debita ex delicto praeferenda non sunt debitis ex contractu, ac probabilius nec certa incertis. 1.m, quia cum res in specie non extat, aeque pro debitis ex delicto, ac pro illis ex contractu, persona debitoris ea est, quae directe, ac principaliter manet obligata, ejus vero bona indirecte, ac secundario. Alterum, quia non jam de jure positivo, sed de jure naturali injuria domino illata per injustam rei acceptionem resarcienda ei est per illius restitutionem, si minus ipsi praecise, cum inveniri nequit, saltem juxta praesumptam ipsius voluntatem, eam impendendo in eleemosynis, aliisve piis operibus. Et signanter de usuris, modo nec seorsim extent, nec sint propriae pecuniae immixtae, nedum docet, quod nullam super aliis debitis praelationem habent, sed quod penultimo loco satisfaciendae sunt ante bona incerta: cum enim Dominus in iis solvendis non fuerit omnino invitus, praeferenda iis sunt bona, quae debitor possideat, domino prorsus invito, sive ex delicto possideat, sive ex contractu. Diximus autem *cum res in sua specie non extat*: certum namque est, prius restituendum esse, quod sit alienum, et adhuc extet in sua specie, puta commodatum, depositum, furto vel rapina abla-

tum; tum quia cum debitor harum rerum numquam acquisierit dominium, numquam proinde mutaverunt dominum, cui idcirco debentur: tum quia alias solverentur debita ex bonis alienis. Ob quam rationem restituendum quoque est venditori ante omnia quaecumque debita res ab eo vendita, si adhuc extet, ejusque non acceperit pretium, vel hujus fidejussionem, vel pignus, vel fidem: his enim positis, dominium rei traditae, ut certum est apud omnes, remansit penes venditorem. Quod si rei venditae acceperit vel pretium, vel hujus fidejussionem, vel pignus, vel etiam solam fidem, nulla ei debetur praelatio, quia iis positis, dominium transiit a venditore in emptorem. Diximus quoque de usuris *modo nec seorsim extent*, *nec sint propriae pecuniae immixtae*; quia in 1.° casu non mutaverunt dominum: in altero totus cumulus manet domino, idest mutuatario obligatus, ex dictis n. 219.

149. Horum autem restitutione facta, solvenda prius sunt debita ex titulo oneroso, quam ex titulo gratuito; secus namque promissio gratuita vergeret in tertii praejudicium. Ex quo sequitur 1.°, quod non licet acceptare dona, vel legata illius, qui hinc efficitur impar solvendis debitis, quae titulo oneroso contraxit. 2.°, quod haeres onerosa defuncti debita prius solvere debet, quam legata etiam acceptata; immo, quam res voto promissas, vota enim quae in tertii praejudicium vergunt, a Deo reprobantur. Ex debitis autem ex titulo oneroso prius solvenda sunt ea, ad quae bona debitorum fuerint expresse obligata, nisi fuerit in praejudicium anteriorum creditorum,

etsi tacitam tantum hypothecam habentium: cum enim hujusmodi hypotecarii, non solum personam debitoris, sed etiam ejus bona habeant expresse obligata, evidens est, quod praeferri debeant his, qui solam personam obligatam habeant. Quod si hujusmodi hypothecarii plures sint, et simul concurrant petentes suum, praeferendi sunt, qui anteriorem hypothecam habent, ex reg. jur. 54. in 6. *Qui prior est tempore, potior est jure*; nequit enim obligatio posterior jus jam acquisitum alteri tollere. Excipiuntur tamen quidam casus, in quibus singulari jure, et privilegio conceditur quibusdam creditoribus posteriorem hypothecam habentibus, ut anterioribus praeferantur: suntque 1.° qui pecuniam dederunt ad rem emendam, reficiendam, vel custodiendam, nam sine illius pecuniae mutuatione res hypothecata periisset, vel deterior facta fuisset, ideoque debitor non haberet rem, vel ejus valorem. 2.° Cum ex pecunia pupilli, vel minoris res aliqua empta est, in quo casu res illa manet pupillo obligata ante omnes ex l. penult. Cod. *de servo pignori dato*. 3.° Qui pecuniam alicui dederit pro militia ob bonum commune, quod privato praeferri debet. Verius tamen in duobus ultimis casibus super hypothecis tacitis anterioribus, et expressis posterioribus tantum praelatio habetur.

250. Post creditores autem expressam hypothecam habentes sequuntur creditores habentes hypothecam tacitam, quibus omnibus praefertur dos uxoris, per quam Martiri bona sunt uxori obligata, ejusque liberis, ita ut ex illis bonis dos deduci possit ante alios creditores habentes tacitam hypothecam priorem

ex l. 12. Cod. *qui potiores in pign.* Ex communi tamen sententia dos non praefertur hypothecae expressae priori, licet praeferatur expressis posterioribus, tum quia inique creditores anteriores suo jure privarenter per nuptias supervenientes; tum quia fiscus, et dos aequantur in jure, et tamen fiscus non praefertur hypothecis anterioribus expressis (lib. 8. D. *Qui potior in pign.*, et lib. 4. cod. eod. tit.). Post creditores habentes expressam, vel tacitam hypothecam solvenda sunt credita habentium privilegium praelationis, quale habent sponsa in bonis sponsi ratione dotis traditae, non secuto matrimonio; qui deposuit pecuniam apud nummularium, non percipiens inde usuras; qui pecuniam credidit ad navem extruendam, instruendam, emendam etc.; ac demum quae ad confectionem repertorii, et apertionem testamenti, ad Medicos, medicamenta, et funera persolvenda necessaria fuerint; inter quae primum locum obtinet actio funeraria, moderata tamen, et necessaria ex L. penult. ff. *de Reg., et sumpt. fun.*; ita ut si concurrat debitum ex impensa funeris cum quovis alio debito personali privilegium habente, praeferri debet debitum funerarium, utpote magis privilegiatum; cujus ratio esse potuit, quia necessitas sepulturae merito judicatur, quasi necessitas extrema.

251. Inter caeteros autem creditores, nempe personales, et qui a Jurisperitis vocantur etiam *chirographarii*, nulla habetur inter eos praelatio, sed omnibus pro rata satisfaciendum est, juxta Less., Bon., Vasqu., Card. Gotti, Antoine, aliosque: inferentes inde, quod inter hujusmodi creditores, qui in debiti

exactione praevenit caeteros, melioris est conditionis, quia nulla habetur ratio temporis, vel anterioritatis, sed omnes aequaliter admittuntur: quod probant ex L. *Privilegia ff. de Privilegiis credit.*, ex L. *Si hominem* ff. *Depositi*, et ex L. *Inter eos* ff. *de re judic.* Probabilius tamen docet Lig. cum D. Th., D. Antonino, Suar. etc., inter eos etiam praeferendos esse anteriores ex reg. Juris relata: *Qui potior est tempore, potior est jure.* Licet enim Jus Civile sic loquatur tantum de creditoribus hypothecariis, Jus tamen Canonicum loquitur de omnibus, et fundatur in ipso jure naturali, quod creditor anterior personalis, quamvis directe personam debitoris, indirecte tamen ejus quoque bona habet sibi obligata, in quibus praejudicari non debet a creditore superveniente (l. 3. n. 690.). Si quis tamen ex hujusmodi creditoribus, personalibus nempe, nec habentibus privilegium praelationis, exigat quod ei debetur in judicio, post latam sententiam tenetur debitor ei solvere, tum quia lex dat creditori hoc privilegium ob reverentiam publici judicii, tum quia vigilantibus jura subveniunt. Ob quam postremam rationem, tametsi eorumdem aliquis petat, et obtineat extra judicium in praejudicium creditorum priorum, potest nihilominus ex probabiliori sententia juxta Lig. exactum retinere, *ne* (ut lex loquitur) *aut negligentia, aut cupiditas huic, qui diligens fuerit, noceat* (l. *Si non* 6. §. 1. ff. *de Bon. auct. jud.*). Nequit tamen debitor solvere totum debitum creditori non petenti, si ipse non sit par solvendo aliis, qui pariter non habent nec hypothecam, nec privilegium, quia faceret injuriam aliis, qui jus

habent, ne alter carens privilegio, et actione ipsis praeferatur. Hinc cum ejus bona omnibus debitis solvendis non sufficiunt, sunt pro rata secundum proportionem dividenda creditoribus aequale jus habentibus, et quorum nullus habet jus praelationis, cum iis aeque sint debita (l. 3. n. 691., et 692.).

252. Creditor tamen hujusmodi, cui ex integro solutum fuerit cum aliorum injuria, potest ne solutum retinere? Respondet De Lugo, quod si mala fide solutionem acceperit, tenetur restituere aliis creditoribus, secus in bona fide, cum ad id non teneatur nec ex injusta acceptione, eo quod bona fide accepit, nec ex injusta detentione, quia per solutionem acquisivit dominium accepti. Verius tamen dicendum cum Lig., quod teneatur aliis pro eorum rata satisfacere, quia ex jure naturali nullum jus habet, ut sibi integre solvatur, cum non potest debitor omnibus satisfacere: jure autem positivo statuunt quidem leges, quod solutum non revocatur (l. *Qui autem*, et l. *Pupillus*, ff. *quae in fraude*); id tamen significat, quod non potest repeti in foro externo, non quod possit retineri. Nec creditori prodest, quod solutum bona fide acceperit, licet enim accipiendo injuriam non fecerit aliis creditoribus, facit tamen illud cum eorum damno retinendo, utpote qui aequale jus ad bona debitoris habebant (l. 3. n. 693.). Omnia tamen superius dicta sunt de jure communi; praeter quod consulendae etiam leges municipales.

Caput VI.

De causis a restituendo excusantibus.

353. Possunt hae esse ex parte vel debitoris, vel creditoris. Et 1.° ex parte debitoris excusant impotentia vel physica, vel moralis; defectus culpae theologicae; ac cessio bonorum. Et quoad primum excusat a restituendo *impotentia physica*, in qua nempe debitor constitutus, nullatenus potest restituere: vel *moralis*, quae habetur 1.°, si per restitutionem conjiceretur debitor in extremam, vel gravem necessitatem. Et quidem quoad extremam, tametsi creditor in eadem constituatur necessitate, nisi ei debitum restituatur, ac tametsi extet res debita in specie; quia, ut sapienter disserit Lig., omnia tunc fiunt communia, cessatque potestas dominii jure gentium introducta. Excipiendum est dumtaxat, si praecise ob subtractionem illam Dominus in extremam necessitatem conjectus fuisset, auferre enim alicui rem sibi ad vitam necessariam idem est, ac eum occidere; in quo casu idcirco melior esse debet conditio Domini prius possidentis (l 3. n. 701.). Quoad gravem vero, si solus debitor est in necessitate gravi constitutus, certe potest restitutionem differre, sive debitum sit ex contractu, sive ex delicto. In gravi autem necessitate debitoris, et creditoris, si creditor jam necessitatem gravem patitur, et debitor tunc ea non laborat, sed laborabit restituendo, certe tenetur restituere, etsi in necessitatem gravem sit conjiciendus, quia in

aequali necessitate gravi praeferendus est creditor, ut magis ab ea eximatur creditor, quam debitor sive ex delicto, sive ex contractu. Si vero et debitor, et creditor sint simul in gravi necessitate, in hoc casu potest debitor tam ex contractu, quam ex delicto restitutionem differre, dummodo, res ablata non extet in specie, et modo creditor per illam praecise ablationem in gravem necessitatem conjectus non fuerit: cum enim debitor gravi necessitate laborat, nequit absque gravissimo incommodo restituere, et quin in necessitatem quasi extremam conjiciatur (n. 702, et 703.).

254. Habetur quoque impotentia moralis ad restituendum, si debitor nequeat absque periculo animae suae, vel suorum restituere, ut si non possit restituere, nisi adigendo filias in periculum prostitutionis, vel filios in periculum latrocinii: sicut etiam si nequeat restituere absque vitae discrimine, aut gravi famae detrimento: quis enim umquam docuit, hominem teneri, vel vitam manifesto periculo objicere, vel se ipsum vendere, ut debita sua solvat: aut mulierem adulteram teneri crimen suum revelare, ne in bonorum divisione damnificentur filii legitimi, cum quibus dividet spurius, cum immo contrarium tradatur c. 9. *de poenit.*? Et ratio a priori est, quia dominus rei nec est, nec esse potest rationabiliter invitus, quod debitor ei restituat bona inferioris ordinis cum dispendio bonorum ordinis superioris, quae juxta prudentum aestimationem longe superent damnum satisfaciendum. Hinc sequitur, quod si bona inferioris ordinis talia sint, et in tanta quantitate, ut prudenter judicentur aequivalere bonis ordinis superioris, tunc

facienda est restitutio inferiorum per bona superiora. Loquens proinde Lig. de eo, qui non posset restituere sine jactura suae famae, subdit: *Nisi jactura famae sit minima respectu damni in bonis creditoris* (l. 3. n. 698.).

255. Habetur etiam impotentia moralis ad restituendum, si debitor nequeat restituere absque jactura sui status, si tamen hic fuerit juste acquisitus, secus si rapinis, fraudibus, usuris, quia id non esset statum suum amittere, sed dimittere alienum, et ad proprium revertere. Addunt plerique: Nisi etiam debitor culpa sua in illas angustias delapsus fuerit, ludis nempe, luxuriis, superfluitatibus; quo in casu sibi imputare debet, quod restituere nequeat absque gravi status jactura. Docet tamen Lig., quod etiam in hoc casu durum videtur damnare debitorem ad restituendum, si status, a quo excideret, esset juste acquisitus. Advertens simul, quod licet non teneatur totaliter mutare statum, tenetur tamen illum diminuere, quantum potest; dimittendo scilicet splendorem equorum, famulorum, etc., ut pro viribus restituat (l. 3. n. 702.). Sicut etiam, quod bene possunt in tali statu et uxor, et filii ab eo accipere alimenta, modo aliunde non habeant sustentationem, cum ad eos alendos ex justitia debitor teneatur, etsi proinde ad hoc alia debita contrahat (l. 3. n. 695.).

256. Quod 2.° excuset a restituendo defectus culpae theologicae, ostendimus n. 235. Superest igitur sermo de cessione bonorum, qui enim solvendis omnibus debitis suis impar, totum, quod habet, creditoribus suis dimittit, retentis tantum instrumentis artis,

et quae ad sustentationem sunt necessaria, fit liber ex dispositione legum a restituendo. Quia tamen cessio hujusmodi nec a natura, nec a legibus plus privilegii habet, quam impotentia, hinc non tollit omnino, sed tantum suspendit obligationem restituendi. Quare qui bonis cessit, si quid postea acquirat, tenetur illud in creditores refundere, retentis tantum, quae sibi, ac suis ad parcam sustentationem necessaria sunt. Qua super re advertendum etiam, non habere locum in debitis ex delicto, nec idcirco fidejussores liberari. Atque haec sunt, quae a restituendo excusant ex parte debitoris.

257. Ex parte autem creditoris excusat 1.°, si cum iste sit debitor alterius, huic ejus debitor solverit. 2.°, condonatio ipsius creditoris sive expressa, sive tacita. Expressa tamen non debet esse a jure annullata: ut ex. gr. distributionum Canonico, qui officio non interfuit, tempori, quo absens fuit, correspondentium, quae a Trid. sess. 24. c. 12. rescinditur: sicut etiam pupilli, cui leges resistunt. Tacita vero esse debet moraliter certa; cumque est hujusmodi, bene excusat a restituendo ex l. 46. §. 7. ff. *de furt. Qui putavit, Domini voluntate rem attingere, non est fur. Quid enim dolo fecit, qui putat Dominum consensurum fuisse?* Quod confirmatur ex D. Th., ubi ait, *non esse proprietarium Religiosum, qui donat aliquid, ponens spem in ratihabitione Praelati* (2. 2. art. 15. qu. 2. art. 5. ad 4.). Ratihabitio autem semper de futuro est. 3.° excusat a restituendo ex parte creditoris compensatio per aliquid aeque aestimabile non gratis factum in favorem creditoris; modo concurrant se-

quentia, et non aliter: 1.° quod creditum inde acquisitum sit ex justitia, et evidenter liquidum: 2.° quod compensatio fiat ex bonis debitoris, quae non sint alicui hypothecata, et sufficiant aliis debitis solvendis: 3.° quod Judex adiri nequeat, quod tamen non obligat sub restitutionis onere: sub quo nec etiam obligat, quod fiat 4.° sine periculo scandali, et infamiae propriae, vel proximi, vel damni tertii, qui putaretur rem abstulisse, et cogeretur restituere: 5.° quod moneatur debitor, si fieri possit, nihil jam debere, tum ne permaneat in peccato, existimans se teneri debitum solvere; tum ne ipse, vel ejus haeredes cogantur iterum illud solvere. Addit Lig. excusari etiam a restituendo, qui aequivalens creditori dederit gratis, quia immemor debiti: quod probat 1.° ex l. *Cum pluribus* 97. ff. *de solution.*, ubi dicitur, quod qui ex pluribus causis alteri debet pecuniam, et solvendo non exprimit, ex qua causa solvat, censetur solvere pro causa potiore, *quia verisimile videtur, diligentem debitorem admonitum, ita negotium suum gesturum fuisse.* 2.° quia oblivio debiti efficit, ut donatio fuerit omnino involuntaria, qui enim donat, censetur semper hanc actualem voluntatem (saltem implicitam) habere: *Dono, nisi tenear ex aliquo alio titulo potiore*: 3.° quia cum semel habuerit voluntatem solvendi debitum, quae semper perseverat, quamdiu non revocatur, donans postea immemor debiti, potius censetur velle solvere ex prima voluntate habita, quam velle donare, voluntati enim donandi praevalet voluntas solvendi, tamquam potior, et praecedens. Nec obstat, quod debitum certum non extinguitur solutione pro-

babili : non enim in casu, de quo agitur, solutio est probabilis, sed certa, et solum probabilitas versatur, an vim habeat debitum extinguendi (l. 3. n. 700.).

258. Si demum Dominus praevideatur re sua abusurus ad peccandum, eoque magis si in damnum tertii, peccaret debitor restituendo, quando illam posset negare sine suo graviori, vel saltem aequali gravi damno: nec solum contra charitatem, sed etiam contra justitiam, quia proximus habet jus, ne aliquid alteri tradatur in ejus perniciem. Accedit, quod qui gladium ex. gr. redderet homini parato ad mortem alteri inferendam, ita se haberet, ac si proprium gladium illi commodaret, ideoque ad homicidium concurreret. Diximus *quando etc.*, excipitur enim casus, in quo nisi alteri rem suam reddideris, idem ab ipso passurus sis damnum, quod proximo impendit: *quia non teneris* (ita Colet) *temporale alterius damnum boni tui aequalis dispendio avertere.*

Caput VII.

De restitutione in particulari. Ac 1.° de iis, qui ad restituendum tenentur ex injusta acceptione.

259. Et 1.° filii familias ex Prov. : *Qui subtrahit aliquid a patre suo, et matre, et dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidae est* (28.). Particeps autem homicidii mortaliter peccat, et quidem contra justitiam. Et ratio est, quia filii, etsi jus habeant, ut a parentibus alantur, non tamen habent jus in bona paterna, aut eorum administrationem, quamdiu

parentes vivunt: quae proinde rapiendo, rapiunt, quod alienum est. Ut furtum tamen filiorum familias ad grave pertingat, multo magis requiritur, quam in furtis alienorum. Hinc Lugo non improbat, quod furtum filii 20, vel 30 aureorum a Patre possidente annuos 1500 aureos non sit grave, si Pater non sit tenax; et filius adoleverit, et accipiat ad usus honestos. Addit. Lig. ex Soto, etc., quod si Pater mittat centum aureos filio in studiis versanti, potest filius quinque aureos insumere in recreationes honestas ex praesumpto Patris consensu (l. 3. n. 543.).

260. Sequuntur uxores, quae ad restituendum tenentur *ex injusta acceptione*, si sine mariti consensu notabile quid accipiant de bonis communibus, vel quorum administratio ad maritum spectat, quia accipiunt illud, cujus maritus dominium habet, vel saltem administrationem, et usumfructum. Uxor tamen non peccat, si ex praedictis bonis quid capiat ad suas, vel filiorum necessitates juxta propriam conditionem, quas maritus negligat, vel ut faciat eleemosynas, et donationes, quae apud similis conditionis foeminas in usu sunt. Ita Less., et communiter: *Qui enim* (ait Lugo) *alimenta uxori taxaret, attendere etiam ad eos sumptus, et moderatas donationes, et eleemosynas, quas secundum statum suum facere congruit* (*De just. et jure disp.* 16. *n.* 64.). Item si ex iis quid capiat ad vitandum mariti damnum vel temporale, vel spirituale, procurando ejus conversionem per eleemosynas, vel sacrificia, quia mariti negotium utiliter gerit. Sicut etiam si maritus sit amens, et curatorem non habeat, quia tunc bonorum admi-

nistratio uxori competit; vel prodigus, in quo casu licite absconderet, quod sibi, ac familiae est necessarium. Demum si non habeat *paraphernalia*, de quibus diximus n. 222., potest ex mariti bonis in necessitatibus vitae, et etiam status parentibus, ac filiis ex alio matrimonio susceptis, quos habeat, providere: *est enim* (ait Colet) *haec obligatio naturalis, quam impedire maritus non potest.* Additque: *Atque hoc alii extendunt ad casum, in quo uxoris frater, aut soror indigerent, tum quia haec misericors agendi ratio pacem in familiis fovet, tum quia maritus fratribus uxoris subvenire debet, ut docent DD.* (*De Rest. in part.* c. 3. *n.* 4. *sect.* 3. *concl.* 2.).

261. Sequuntur famuli, qui ad restitutionem tenentur *ex injusta acceptione*, si vel absolute Domini bona surripiant, vel eadem surripiant sub praetextu, quod stipendium justo minus accipiant. Hinc damnata fuit ab Innoc. XI. prop., quae ajebat: *Famuli, et famulae domesticae possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod accipiunt.* Ratio autem est, tum quia, ut diximus n. 257., numquam licet compensatio, nisi cum creditum est liquidum, idest certum, quae saltem certitudo deest in casu, de quo agitur: tum quia potius nihil iis debet dominus, et quia consenserunt in pretium minus; et quia nihil iis debetur ex justitia ratione laboris, et operarum, nisi pretium, de quo conventum est, licet infimum; et quia etsi hoc esset minus illud, quod accipiunt, forte illorum opera utilior domino non erat, qui proinde sub majori pretio illos non conduxisset. Acce-

dit, quod cum alios Dominos non invenerint, qui plus dare voluissent, illud dicendum est justum pretium, quod accipiunt; justum enim pretium est illud, quod communiter homines solvunt, quippe quod non plus valet res, vel opera, quam id, quod communiter pro ipsa inveniri potest. Secus tamen dicendum, si vel Dominus manifesta injuria abusus fuisset famuli necessitate ad illum injusto stipendio conducendum: vel famulus ex voluntate Domini expressa, vel tacita operas praestiterit, ad quae conductus non fuerat, et pro quibus Dominus nihil addiderit stipendii; in quo casu licite potest sibi compensare, uti etiam potest quicumque alius mercenarius; idque etiam ex proprio judicio, modo prudens, timoratus, et aptus ad recte judicandum, remoto omni hallucinationis periculo: cujus ratio est, quia *dignus est quivis operarius mercede sua*. Ita Lig. l. 3. n. 523., et 524. Addit alibi, famulos excusari etiam posse a restitutione, si furtum fuerit ex exculentis, vel poculentis, quae claudi non solent, ac quae ipsimet domi consumpserint, non vero domo exportaverint, vel vendiderint; modo tamen non fuerint extraordinaria, vel in magna quantitate: cum in his Dominus regulariter sit tantum invitus quoad modum accipiendi clam, non quoad rem (lib. 3. n. 545.).

262. Item ad restituendum tenentur *ex injusta acceptione*, qui aliquid acceperint, ut facerent, vel omitterent id, ad quod faciendum, vel omittendum tenebantur ex justitia, vel etiam ex sola charitate, modo opus ex charitate debitum fuerit sine ullo periculo, sumptu, ac labore: ubi enim titulus, vi cujus

acceperint, quod datum fuit? Accedit tamen quoad 1.^{m}; quod vendiderint, quod suum non erat, sed donantis. Hinc apposite D. Th.: *Sicut injustus esset, qui cappam meam mihi vendere vellet, ita injustus est, qui justitiam, quam debet gratis ex officio facere, non vult facere, nisi accepto munere* (*De regimine Princ. l. 4. c. 4.*). Quoad alterum vero, et quod vendiderint quod non erat pretio aestimabile, ac vendibile; et quia quod datur in casu, de quo agitur, non datur voluntarie, sed coacte, ex timore scilicet, quod nisi detur, nec etiam habeatur, quod ex charitate debetur. Nec obstat, quod obligatio restituendi, ut diximus n. 233., oritur solum ex violatione justitiae; ac dum quis accipit aliquid ob opus ex sola charitate debitum, non violat justitiam, sed charitatem tantum. Utique enim violat justitiam qui pro opere, quod ex communi hominum judicio non est pretio aestimabile, ac vendibile, accipit aliquid sibi indebitum.

263. Tenentur demum ad restituendum *ex injusta acceptione* Episcopi, ac Parochi non residentes, vel residentes, sed inutiliter, ut diximus n. 158.: sicut etiam Beneficiarii horas Canonicas omittentes, si post sex menses ab obtento Beneficio, ut statuit Conc. Lateranense V. sub Leone X.; Officium Div. omiserint, praeterquam si ex legitimo impedimento. Nempe, ut postea S. Pius V. declaravit, pro omnium horarum omissione tenentur ad restitutionem omnium fructuum respondentium diebus, in quibus eas omiserunt. Pro omissione matutini ad dimidiam partem fructuum: pro caeterarum horarum omissione etiam

ad dimidiam: pro omissione unius tantum horae ad sextam partem. Qua super re notandum 1.°, quod habens Beneficium tenue, cujusmodi censetur ex Lig. l. 3. n. 674., si non praestet saltem tertiam partem victus, vel non magis declinet ad tertiam ultra quartam partem, habetur in jure, tamquam non Beneficiarius. Docet tamen Stampò, quod licet ad quotidianam Officii recitationem non teneatur, ad illam tamen tenetur certis diebus judicio Episcopi determinandis; eritque adstrictus ad quotidianam, si plura habeat tenuia beneficia, ex quibus competentem sustentationem habeat: 2.° quod cum praedicta fructuum restitutio sit poena, atque haec requirat culpam, hinc officium sine culpa omittens, non tenetur ad restitutionem; non enim fructus Beneficii dantur pro mercede recitationis, ut proinde eorum restitutio debeatur de jure naturali ab omittentibus officium, sed dantur pro sustentatione Beneficiati, cum onere tamen officii: 3.° quod cum hujusmodi poena imposita non fuerit, nisi post semestre ab obtento Beneficio, hinc qui Officium praetermiserit intra sex primos menses, etsi graviter peccaverit, probabilius ex Lig. ad eam non tenetur (n. 666.): 4.° quod Beneficiarius fructus absque sua culpa non percipiens, ad recitandas horas non tenetur, nisi fructibus privetur in alicujus criminis poenam, vel certam spem habeat illos exigendi in annis sequentibus, cum aequum non sit, ut onus officii subeat, si fructus absque sua culpa non percipiat. Ex quo etiam sequitur, quod si vertatur lis super Beneficio, et nec illius acceperit possessionem,

nec per ipsum stet, quin illud adipiscatur, nec etiam ad Officium tenetur; cum ad hoc teneatur ex perceptione fructuum, nec ante possessionem habeat jus illos percipiendi. Quod si Beneficii possessionem adeptus fuerit, in hoc casu, si spem habeat moraliter certam litem vincendi, utique ad Officium tenetur. Secus si hanc spem non habeat, et dubium sit, cui adjudicandi erunt fructus, cum nemo obstringendus sit ad onus certum ob mercedem incertam: nec postquam litem vicerit, tenetur ad restitutionem fructuum praeteritorum ob omissionem Officii, sed licite eos retinere potest; sicut licite retinet fructus maturatos a tempore vacationis beneficii, etsi Officium non dixerit.

264. Acriter tamen controvertitur, an teneatur ad restitutionem fructuum, si officium recitaverit quidem, sed sine debita attentione? Ad quod cum Lig. respondemus, quod si illud recitaverit absque externa attentione, oculis, et animo ad alia sponte distractis, certe non satisfecit officio, et tenetur ad restitutionem. Secus si tantum mente voluntarie distracta illud recitaverit, ac bona fide fructus perceperit: tum quia si attentio interna necessario requireretur ad essentiam orationis, ille qui involuntarie distrahitur, nec etiam satisfaceret: tum quia sicut minister extremae unctionis, cujus Sacramenti forma est deprecatoria, etsi animo voluntarie distracto illam pronuntiet, Sacramentum tamen conficit, quia agit, ut Minister Ecclesiae: ita et Beneficiatus, etsi animo voluntarie distracto Officium recitet, dicendum tamen est, quod oret, quia orat, ut Minister Ecclesiae. Hinc licet peccet, quia Ecclesia praecipiendo ei orationem, praecipit quoque

attentionem, ut rite fiat; licet etiam ob eamdem rationem nullum fructum quoad se ex Officio sic recitato percipiat, fructuum tamen restitutioni non est obnoxius, quia cum oraverit, ut Minister Ecclesiae, Ecclesia etiam per ipsum oravit. Addit Lugo, quod sicut recitans coram Rege orationem compositam ad aliquam gratiam impetrandam, certe oraret illam coram Rege recitando, etsi ad alia mente distractus; ita et recitans officium mente ad alia distractus, adhuc potest Deum orare, attentio enim externa conjuncta cum intentione recitandi efficit, ut recitatio horarum sit quoad substantiam vera oratio. Cui demum accedit, quod privatio fructuum est poena, qua, Ecclesiam Beneficiarium afficere ob peccatum internum, dicendum esset. Porro his positis: non negatur quidem, quod juxta probabiliorem, et communiorem sententiam, ut cit. loco idem Lig. scribit, nosque etiam innuimus et l. 1. n. 99., et lib. 2. n. 84, attentio interna dicenda est de orationis essentia, utpote quae universe definitur: *Elevatio mentis ad Deum.* Non negatur, quod de orantibus mente ad alia voluntarie distractis Deus conqueritur, ubi ait: *Populus iste labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (Matth. 15.). Et e converso dicitur ap. Jo.: *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, et veritate* (4.). Nec etiam tamen negari potest, quod ob superius allata satis probabilis merito vocatur a Lig. sententia affirmans, quod ad satisfaciendum substantialiter praecepto officii non requiritur attentio interna, sed sufficit intentio recitandi cum attentione externa: ideoque etiam satis probabilis sententia deo-

bligans Beneficiarium, de quo agitur, ab onere restitutionis; maxime cum non constet certo de obligatione restitutionis (l. 3. n. 669., et l. 4. n. 177.).

265. Ad id autem, unde discessimus, redeuntes, praedictam restitutionem ob omissionem horarum faciendam esse pauperibus, vel fabricae proprii Beneficii, docent DD. ex Decr. Pii V.: eosque tantum fructus esse restituendos, qui respondent oneri officii omissi, si agatur de iis Beneficiis, quae praeter onus recitandi horas, alia quoque onera habent, cum ita usu sit receptum, ipsaque ratio dictet. Hinc docent, Episcopum, vel Parochum teneri ob id ad restituendam tertiam, vel quartam partem fructuum, retinendo alios pro aliis oneribus, quibus satisfecerint: Canonicos ad dimidiam (Lig. l. 3. n. 673.).

366. Quoad hos tamen alia supersunt scitu necessaria. Et 1.°, quod non solum tenentur ad horas recitandas, verum etiam ad illas recitandas in Choro, ad quem non obligari Episcopos, docet Lig. ex D. Th. 2. 2. *qu.* 91. *art.* 2. *ad* 3., tum quia sic fert consuetudo; tum quia ipsi majoribus negotiis vacare debent, quae Chori assistentiam non compatiuntur (l. 3. n. 675.): Canonici vero ab eo tantum possunt ex concessione Trid. *per tres menses in quolibet anno abesse, salvis nihilominus earum Ecclesiarum Constitutionibus, quae longius servitii tempus requirerent* (*sess.* 24. *c.* 12. *de ref.*): per quod tempus absentes, etsi absque justa causa, cum Concilium absolute iis concedat abesse per tres menses, nulla speciali causa requisita; lucrantur quidem fructus Praebendae, non tamen Distributiones. Qua super re etiam scire refert, quod

iisdem vetitum non est conjugere trimestre unius anni cum trimestri subsequentis, nisi scandalum, vel diminutio cultus Divini inde obveniat. Vetitum tamen est ex decl. S. C., praefatos tres menses conficere ex horis, quibus residens absit a Choro: vel computare punctaturas pro tribus mensibus ipsis concessis, ita ut nihil teneantur restituere, si omnes punctaturae anni non excedant quartam partem integrae residentiae (Lig. l. 4. n. 129.). Item ob reductionem Festorum factam a Pio VII. pro utriusque Siciliae Regno, declaravit eadem S. C. *in Aliphana* sub die 18. Oct. 1818., Canonicos aequae teneri ad Chorum, et Ecclesiasticas functiones peragi solitas in Festis, in quibus populus solutus est a praecepto audiendi sacrum, tum quia, ut dicitur in Decreto, cantus est ad Deum honorandum, non ad populum alliciendum, tum quia Indultum abrogationis Festorum editum fuit ad populi, non ad Clericorum commodum. Pro Choro autem, in quo Officium Divinum est persolvendum, potest etiam ob aliquam causam Sacristia substitui, etiam sine licentia Episcopi, si haec praesumatur; in Sacristia enim reputatur Officium moraliter ac in Ecclesia recitari: immo si necessitas cogat, et adsit licentia Episcopi, si ad ipsum aditus pateat, etiam alius locus extra Ecclesiam (Lig. l. 3. n. 675.).

267. Quamvis tamen ultra praefatos menses per tres, vel quatuor dies abesse, ex communi non habetur pro culpa gravi, lethale tamen est plus abesse: et ex eodem Trid. Canonici ultra tres menses absentes, primo anno privandi sunt dimidia parte fructum. Si residere iterum negligant, omnibus fructibus, quos

eodem anno lucrati fuerint. *Crescente* demum *contumacia, contra eos juxta Sacrorum Canonum Constitutiones procedatur* (l. cit.). Immo ex Ben. XIV. Bulla *Cum super oblatus*, et Brevi ad Patriarcham Aquilejensem sub die 19. Jan. 1748., etsi Choro intersint, sed ibi non canant, vel submisse recitent, et Distributiones amittunt, et fructus omnes Praebendarum non faciunt suos. Addit Trid., quod *per se, et non per substitutos compellantur obire officia* (l. cit.): ex quo S. C. intulit die 25. Jul. 1570., quod nec etiam possit alternatim Choro inservire unus pro alio. Declaravit tamen subinde eadem S. C. ap. Fagn. tom. 1. in c. *Cum omnes*, quod Episcopus, ubi adest consuetudo, potest concedere facultatem Capitularibus invicem se substituendi in servitio tum Ecclesiae, tum Chori, modo id non fiat iis temporibus, quibus omnes Ecclesiae servitio adstricti sunt, et modo hac facultate non abutantur, nimis frequenter sibi invicem substituentes (Lig. l. 3. n. 675.).

268. Excusantur caeterum a Chori assistentia, ac tam fructus, quam Distributiones lucrantur, ob triplicem causam; suntque hae ex Bonifacio VIII.: *Infirmitas*, non tamen levis, sed gravis, vel quae gravis fieri potest per accessum ad Ecclesiam: *rationabilis corporis necessitas*, idest timor cujuscumque gravis damni in vita, honore, aut bonis; et *evidens Ecclesiae utilitas*, vel universalis tamen, vel totius Diaecesis, vel propriae. Qui autem abest propter causas diversas a tribus praedictis, sed etiam justas, puta ob studium, visitationem, vel alias, de quibus mox dicetur, et pro quibus semper requiri-

tur licentia Episcopi, lucratur quidem fructus, sed non distributiones. Hinc et fructus, et Distributiones lucrantur Canonicus Poenitentiarius, si tempore officii Confessiones excipiat, ex Trid. ses. 24. c. 8.; immo ex Decl. S. C. relata a Barbosa, etsi in Confessionario maneat expectans poenitentes, si hi accedere soleant, ut iis promptiorem se exhibeat; et ex alia decl. ejusdem S. C. censeri etiam debet praesens Processionibus, Orationibus, et exequiis Defunctorum, quibus desit, ut audiat Confessiones. Lucrantur quoque et fructus, et distributiones, qui Poenitentiarium adjuvent de mandato Superioris in magno concursu: sicut etiam Canonicus Curatus, qui tempore officii sui muneris officia exerceat; et qui cum sit Canonicus Theologus tempore officii legit, aut concionatur, vel in aliis horis ipsius diei, non tamen praecedentis, se paret ad legendum, vel concionandum. Excusatur quoque a Choro qui electus fuerit Vicarius Capitularis Sede vacante, quia hic incumbit totius Dioecesis utilitati. Secus si eligatur Vicarius Episcopi, quia tunc Episcopo, non Ecclesiae inservit; ideoque lucratur quidem fructus Praebendae, sed non distributiones. Nec etiam proinde has lucrantur, sed solum fructus Praebendae Canonici Examinatores, Visitatores, ac docentes in Scholis publicis; et probabiliter, etiam Parochi, qui in Scholis publicis doceant Sacram Scripturam, Theologiam, aut Jus Canonicum: quo privilegio et gaudent studentes in Universitate (modo non sint Parochi, his enim ob causam studiorum non conceditur abesse ultra duos menses, ex Decl. S. C.) cum licentia Episcopi, quae illis suffragatur

pro quinquennio, si audiant Sacros canones, pro septennio vero, si audiant Sacram Scripturam, seu Theologiam. Advertendum tamen, quod si beneficium constaret solis distributionibus, omnes, de quibus diximus, dispensati a Choro illas lucrantur, quia tunc distributiones succedunt loco fructuum; Anniversariis tamen exceptis, quia Testatores nolunt has dari, nisi assistentibus (Lig. l. 4. n. 130, 131, et 132.): sicut etiam advertendum, standum quoque esse uniuscujusque Ecclesiae statutis, ac consuetudinibus.

Caput VIII.

De iis, qui ad restituendum tenentur ex injusta detentione, et ex injusta damnificatione.

269. Et 1.° ad restituendum tenetur *ex injusta detentione* qui bona fide rem furtivam emit, quia omnis res clamat ad Dominum. Quaeritur tamen, an possit eam reddere furi, ut pretium recuperet? Quod affirmandum cum comuniori, et probabiliori, ut eam vocat Lig. l. 3. n. 569.: tum quia ita agens rem tantum reponit in statu pristino, adeoque nullam Domino injuriam infert; tum quia cum quisque jus habeat bona sua recuperandi, jus quoque dicendum est habere ad ea omnia, quae ad id sunt necessaria, licet ex accidenti, et praeter ipsius animum alteri detrimentum eveniat: tum quia quis dixerit, teneri aliquem rem Domino servare cum sui ipsius detrimento? Possum itaque permittere, ut fur rem alienam recipiat, ne pretium a me solutum amit-

tam. Sicut qui rem alienam in via forte inventam abstulit, si postea noverit, eam retinendo damnum sibi imminere, potest eam in eodem loco reponere, et permittere, ut illam alter auferat, licet id faciendo, in deteriorem statum rem immittat, cum id non ex malitia ipsius, sed alterius eveniat, nec vera cooperatio dici possit alterius furto, sed tantum illius ex justa causa permissio. Animadvertendum tamen est, locum non habere hanc sententiam, nisi cum emptori alia non suppetit via pretium suum recuperandi. Sub qua conditione idem quoque licet emptori malae fidei, quamvis enim emendo peccaverit, non amisit tamen jus rescindendi contractum cum fure, qui sibi rem tradidit.

270. Item ad restituendum tenentur ex *injusta detentione* fraudantes vectigalia, cum ex justitia teneantur omnes ad illa solvenda tum ex verbis Christi: *Reddite quae sunt Caesaris, Caesari* (Matth. 22.); tum ex verbis Ap.: *Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal* (Ad Rom. 13.). Qua super re affert Lig. sententiam Nav., Bonac., Less., Laym. etc., non esse mentem Legislatorum in illis imponendis, quam ut deprehensi mulctentur, nec aliter consuetudinem has leges interpretari. An autem (subdit) *sit sufficienter probabilis, sapientioribus me remitto* (l. 3. n. 614., et 616.).

271. Tenentur autem ad restituendum *ex injusta damnificatione* 1.°, qui aliquem occiderit, mutilaverit, vel vulneraverit. Et quidem praecise pro vita, membro, vel cicatrice nihil restituendum est ex rigore, cum sint bona altioris ordinis, quae pecunia

aestimari nequeunt. Quod et generatim dicendum pro restitutione ob deflorationem, calumniam, detractionem, contumeliam; in quibus rebus quia restitutio per pecuniam fieret in alio genere, ideo non fieret, nec fieri posset ad aequalitatem, nec per quamcumque pecuniam damnum repararetur neque in toto, neque in parte. Restitutio autem, utpote actus justitiae commutativae, fieri debet ad aequalitatem. Patet igitur propositum. Confirmatur tamen et ex illis Exodi verbis, ubi dicitur, quod convalescente vulnerato, *percussor erit innocens, ita tamen, ut operas ejus, et impensas in medicos restituat* (21.). Satis ergo est restituere damna in bonis illata, quin sit obligatio restituendi aliquid pro vulnere, alioquin percussor non diceretur innocens. Quemadmodum etiam ex l. fin. ff. *de his, qui effud. etc.*, ubi dicitur vulnerans teneri *ad expensas curationis, et mercedes, quibus cariturus est vulneratus. Cicatricum autem, aut deformitatis nulla fit aestimatio, quia liberum corpus nullam recipit aestimationem.* Tenetur igitur uxorem, filios, ac genitores occisi, quos hic ex suis operibus alebat, ipse post mortem alere, utpote personas, quae jus strictum habebant, ut ab occiso alerentur: a quo proinde non excusatur nec etiam ob condonationem ipsius occisi, antequam moreretur, quia non poterat aliorum jus condonare. Quod si ab occiso alebantur ex bonis, quae extent, ad id non tenetur, tametsi de caeteris damnis teneatur. Sunt autem haec, quod haeredibus necessariis, ut filiis, parentibus, et etiam uxori, ex Lig. l. 3. n. 631., tenetur restituere omne damnum ipsis illa-

tum ob medicos, et medicamenta, nec non ob lucrum, et quod occisus fecisset tempore, quo vulneratus vixit, et quod attentis circumstantiis aetatis, valetudinis, etc. acquirere in posterum poterat: quod tamen lucrum, cessans nempe post ejus mortem, non est restituendum in re, sed quoad spem. Si vero occisus reliquerit haeredes non necessarios, sed liberos, his tantum occisor debet omne debitum reale ab ipso contractum cum defuncto ante ipsius obitum; nempe damnum ejus bonis irrogatum per occisionem propter impensas in medicos, et medicamenta, et lucrum, quod amisit vulneratus tempore, quo vixit, non autem lucrum, quod cessavit a tempore mortis, cum istud non fuerit debitum reale cum defuncto contractum. Sicut neque debet iisdem aliud, ad quod jus strictum non habebant, vel creditoribus occisi damnum iis illatum, nisi eorum malum expresse intenderit, ea scilicet intentione alium occidendo, ut ii, quibus occisus ante benefaciebat, beneficii hujus jacturam facerent, vel ejus creditores non haberent, a quo satisfierent: quia absque hac expressa intentione adfuit damnum, non injuria; atque utrumque requiritur ad obligationem restitutionis. Hinc sub praedicta exceptione, si fratres, aut nepotes occisi ad inopiam redacti essent, non ideo restituendum iis foret ab occisore id, quod ab occiso accipere consueverant; quia, ut haeredes non necessarii, ad id jus strictum non habebant (Lig. l. 3. 631. 632., et 633.).

272. Non tenetur tamen ad aliquid, propterea quod fuerit occasio, ut innocens caperetur, et plecteretur, nisi ex adjectis fuerit causa, ut delictum

innocenti tribueretur, ut ex. gr. si occidisset inimicum indutus alterius vestibus, vel ejus armis, vel in ejus domo, aut agro, aut cum ipsius famulorum auxilio : nisi enim aliquid horum intervenerit, tantum ex accidenti, et ex aliorum culpa, vel errore est causa damni, quod innocenti advenit. Sicut etiam probabile censet Lig. ad nihil teneri, si volens inimicum occidere, per errorem, et id non intendens ne quidem confuse, amicum, vel alium occidit. Nihil enim debet inimico, quem reapse non occidit; nec debet aliquid amici haeredibus, cum omnino involuntarie, et praeter animum amicum occiderit : ad obligationem namque restitutionis, quae oritur ex damnificatione, requiritur injuria formalis, et damnum illatum. Quare non sufficit nec injuria materialis, et solum effectiva sine animo; nec injuria tantum affectiva, opere externo non completa. Ita l. 3. n. 628.; subjungens tamen, non excusari ab irregularitate. Ac demum etiam ad nihil tenetur, si ad necessariam sui defensionem, et cum moderamine inculpatae tutelae homicidium patraverit. Quod si excesserit, pro ratione etiam excessus tenetur ad restitutionem : et quidem si excessus fuerit mortale peccatum, ad totius damni restitutionem tenetur. In defectu autem occisoris, ad omnia, quae dicta sunt, tenentur ejus haeredes, etiamsi occisor fuerit morte plexus, cum hac satisfecerit tantum justitiae publicae, non vero haeredibus occisi.

273. Item ad restituendum tenetur *ex injusta damnificatione*, qui virginem violaverit. Et quidem si eam repugnantem violavit cum promissione matrimonii, ad istud tenetur, idque etsi voto castitatis ante

hujusmodi promissionem se obstrinxerit; ut enim Lig. disserit, ex una parte damnum deflorationis numquam adaequate reparatur, nisi per solum conjugium; ex altera vero, licet nequivisset Matrimonium promittere, poterat tamen promittere, se impetraturum dispensationem, ad quod jam se obligavit ratione deceptionis, copulam extorquendo sub promissione matrimonii; unde tenetur dispensationem impetrare, qui enim tenetur ad finem, tenetur etiam ad media necessaria, modo possit absque gravi incommodo. Facillime autem potest in hoc casu dispensationem impetrare, et ideo tenetur (l. 3. n. 649.). Si vero eam repugnantem violavit absque promissione matrimonii, tenetur eam aut ducere, aut dotare, ut bene nubat, ac si violata non fuisset. Immo, etsi matrimonium non promiserit, potest Judex eum obligare ad illam ducendam in poenam sui criminis ex c. 1. *de Adulter.*, prout erat in veteri lege sancitum juxta illud Ex.: *Si seduxerit quis Virginem, dormieritque cum ea, dotabit eam, et accipiet eam in uxorem* (22.). Quod si eam consentientem violavit, ad nihil ex justitia tenetur, nisi vel rem propalaverit; vel ex minis, aut metu reverentiali consenserit; vel cum incoepisset tactibus, et osculis vim puellae inferre, haec postea libere consenserit deflorari, quia per antecedentem illam violentiam eam constituit in proximo periculo consentiendi in copulam; vel cum noluerit discedere, puella consenserit, quia alias timebat infamari, si cum illo ab aliis sola reperta fuisset; ac demum si puella sit valde pauper, et ille dives, ita ut pactum quoddam tacitum intercessisse credatur, aliquid dotis gratia illi donandi.

Ratio autem est, quia nihil ex justitia debet puellae, cum enim deflorationi consenserit, nullam ei fecit injuriam, ex principio generali, quod *volenti, et consentienti non fit injuria.* Nihil quoque ex justitia debet ejus parentibus, puella enim consentiens suae deflorationi defuit quidem pietati, ac reverentiae parentibus debitae, non tamen justitiae, utpote ipsa proprii corporis domina. Tanto minus ergo defuit justitiae erga parentes puellae ipse deflorator. Hinc nec etiam ex Lig. tenetur ad damnum parentibus obveniens ob dotem, quam forte augere debeant ad illam in matrimonio collocandam, cum nullatenus in eos deliquerit contra justitiam, ex cujus laesione oritur solum obligatio restituendi (n. 641.).

274. At quid, si promissio Matrimonii fuerit ficta? Adhuc ad Matrimonium teneri, DD. consentiunt: tum quia, nisi eam ducat, numquam ei reddet aequale: tum quia in contractibus innominatis *do, ut des; facio, ut facias*, cum unus contrahentium suam partem impleverit, tenetur alter suam quoque implere ex justitia, quamvis ficte contraxerit. Excipiendum tamen est, si stuprator ita locutus fuerit, ut ex verbis ambiguis, vel ex aliis signis facile puella potuerit conjicere, se ab illo decipi: ut si illa sit plebeja, et pauper, ille nobilis, et dives; quo in casu probabilius censet Lig., stupratorem nec etiam teneri ad damnum compensandum, quia recte praesumitur libere consensisse (l. 3. n. 643.). Sicut etiam sive ficte, sive vere Matrimonium promiserit, excipiendum quoque est, 1.° si puella cum alio fornicetur, quia justam praebet causam recedendi. 2.° si ex Matrimonio timeantur scan-

dala, aut rixae in familia, ut evenire solet, si vir sit superioris conditionis, nec Matrimonium contrahi posset sine familiae dedecore, utpote promissio de re illicita, ideoque nulla. 3.° si puella nolit nubere, aut parentes repugnent; nec tunc dotare eam tenetur, nisi se finxerit melioris, vel paris conditionis cum foemina, dum esset inferior. Demum ex dictis de voto n. 118, si notabilis mutatio superveniat (n. 644., et sequ.).

275. Item ad restituendum tenentur *ex injusta damnificatione* adulteri: nata scilicet prole, ad reparandum damnum illatum tam conjugi, quam proli legitimae; quatenus tamen id possint sine gravi detrimento superioris boni, et causa majoris mali. Hinc excusantur, si compensatio damni fieri nequeat sine vitae periculo, perturbatione, et discordiis familiae, gravi famae detrimento, utpote quibus fortunae damna merito cedunt; qua super re consulatur tamen quod dictum est n. 254. Quod si mulier nequeat illatum damnum ad aequalitatem reparare, tenetur saltem illud reparare, diligentius rem familiarem administrando, de cultu corporis detrahendo id quod possit, relinquendo filiis legitimis plus, quam spuriis de bonis propriis, si quae habeat; spurium inducendo, ut amplectatur statum Religiosum, si sit idoneus, haereditate relicta, aliisque modis sibi possibilibus. Posito autem, quod damnum ab utroque compensari possit, mater tenetur filium spurium lactare usque ad tertium annum, deinde Pater eum nutrire, nisi sit impotens, tunc enim tenetur Mater.

276. Adulter tamen, qui dubitet, an proles sit

sua, vel Mariti ad nihil, dicimus cum Lig., teneri; tum quia donec non sit certus prolem esse suam, possidet Matrimonium, ideoque standum pro legitimitate filii: tum quia stante dubio, an proles sit, necne propria, melior est ejus conditio possidentis bona sua (l. 3. n. 657.). Ob quam postremam rationem excusatur quoque a restituendo, si dubium sit inter duos adulteros, cujusnam sit proles; idque ab eodem Lig. reputatur spectata ratione, et absolute loquendo probabilius, nemo enim tenetur ad damnum, nisi certo moraliter constet, ipsum fuisse damni causam ex D. Th. 2. 2. qu. 62. art. 7. Quod autem nullus sit, qui prolem alere teneatur, id ex accidenti evenit. Excipitur tantum, si plures adulteri ex communi consilio rem cum adultera haberent, in quo casu teneretur quisque ad prolis alimenta pro rata dubii: ad quae etiam teneretur pro rata dubii, si posterior adulter sciens adulterium ab altero commissum, et advertens fieri causam suo secundo adulterio incertitudinis prolis, atque hoc ne possint pro ea exigi alimenta a primo adultero, adhuc rem haberet cum adultera. Quia tamen in hoc secundo casu rarissima est haec advertentia, rarissima quoque, ut concludit Lig., erit haec obligatio (n. 658.). Demum etsi adulter sit locuples, et certus de prole ex adulterio, non tenetur tamen eam hospitali exponens, expensas huic reficere pro prole nutrienda, ut probabilius docet idem Lig., idque sive Hospitale sit opulentum, sive pauper, quia hujusmodi Hospitalia, non solum sunt instituta ad subveniendum pauperibus, sed etiam divitibus in in-

famiae periculo, in quo ipsi solent vel procurare abortum, vel prolem necare: immo potius pro pueris spuriis, quam pro pauperibus instituta sunt, ad eos nempe liberandos a discrimine mortis temporalis, et aeternae, quam secus facile subirent (n. 656.).

277. Item ad restituendum tenentur *ex injusta damnificatione* damnificantes aliena praedia vel pascendo armenta, vel caedendo ligna, vel auferendo fructus. Incolae tamen alicujus loci, qui in sylva totius Communitatis ligna contra prohibitionem caedant, non peccant ex Lig., saltem graviter, immo forte nec venialiter, et nihil tenentur restituere, nisi magnam lignorum caesionem faciant, sed tantum tenentur ad poenam post sententiam, ut diximus l. 1. n. 89. Hinc pergit, non peccare scindentem unicam sarcinam singulis diebus pro usu proprio, nec duas singulis hebdomadis ad vendendum. Excipiendum tamen est cum eodem, si communitas sylvam illam alteri privato vel vendiderit, vel locaverit, quia tunc emptor, vel conductor strictum jus ad sylvam illam acquisivisset. Quodque dictum est de sylvis quoad caesionem lignorum, dicendum quoque est de agris quoad pascenda animalia (l. 3. n. 528.). Addit Colet quoad sylvas privatorum: *Homini in ea necessitate constituto, ut alioqui hyemem sine igne, et calidis alimentis transigere debeat, licitum est minuta, quae humi jacent, ligna, vepreta, genistasque colligere in usum foci proprii, quia vel domini tunc inviti non sunt, vel sunt irrationabiliter inviti* (*De just., et jure p. 3. c. 1. art. 4. sect. 1. punct. 2.*). Sat quoque probabiliter ex Lig. excusantur a culpa, et restitutione,

qui per alienum praedium transeuntes, comedant de uvis, vel aliis fructibus, modo etiam foras non asportent; ex illis Deut. verbis: *Ingressus vineam proximi tui comede uvas, quantum tibi placuerit, foras autem ne efferas tecum. Si intraveris in segetem Amici tui, franges spicas, et manu conteres, falce autem non meles* (23.). Quod autem permissio hujuscemodi non fuerit pro solis vinitoribus, sed universe pro viatoribus, et testatur Josephus Hebraeus, et colligitur ex illis verbis: *Ingressus vineam etc.*, quae magis proprie intelliguntur de viatoribus, quam de in vinea laborantibus. Hinc apud Lucam legitur, quod Apostoli juxta hanc legem, *cum transirent per sata, vellebant spicas, et manducabant confringentes manibus* (6). De quo objurgati quidem fuerunt a Pharisaeis, non tamen, quia illicite id facerent, sed quia facerent in die Sabbati. At Christus eos omnino excusavit (n. 529.).

278. Item ad restituendum tenentur *ex injusta damnificatione* impedientes aliquem a consecutione alicujus boni, si bonum istud debitum illi erat ex justitia: vel etsi ex justitia illi non debitum, id fecerint vi, mendaciis, fraudibus, aliisve id genus artibus, cum jus unusquisque habeat, ne iniqua via impediatur a bono obtinendo. Solum tamen tenentur juxta spei gradum; cum bonum illud nondum fuerit obtentum, et poterat *multipliciter impediri*, (ut D. Th. ait 2. 2. qu. 62. art. 2.). Quod si bonum illud non erat ei debitum, nec ab illo obtinendo proximum fraudibus averterint, ad nihil tenentur, cum non deliquerint contra justitiam, sed contra charitatem tantum.

279. Tenentur demum ad restituendum *ex injusta damnificatione* ii omnes, qui efficaciter cooperati fuerint ad damnum alterius; ac qui ex officio, et obligatione justitiae obligati ad cavendum alterius damnum, non caverunt; hisque versibus comprehenduntur:

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Et quoad 1., non solum tenetur mandans de damno, quod jussit, sed etiam de excessu, si res praecepta erat periculosa, et mandatarii excessum poterat praevidere. Quod si mandatum non erat de se periculosum, et mandatarius ob suam malitiam plus fecerit, quam fuerat ei mandatum, mandans non tenetur, nisi pro ratione damni, quod mandavit. Addendum tamen, quod tenetur etiam de damno, quod secutum fuerit mandatario, si hujus fuerit Superior, mandato enim Superioris subditus moraliter cogitur. Quod si mandatum ante executionem revocaverit, contrarium suadens, etsi forte non persuaserit, ad nihil tenetur: modo tamen 1.° ante executionem innotuerit mandatario revocatio mandati. 2.° voluntatem mandatarii ad delictum non commoverit adeo potenter, ut deinde simplex mandati revocatio inefficax merito censeatur. 3.° si cum non posset aliud, monuerit eum, qui injuriam accepturus erat, ut sibi caveret: et quidem etiamsi propriae vitae dispendio alterius mors impedienda fuisset, cum potius moriendum sit, quam sinendum, ut alter vi mandati emissi occidatur.

280. Quoad consulentem, pro quo intelligitur, non solum qui alium ad damnificandum moverit consilio, sed qui etiam ad illud moverit precibus, pro-

missis, hortando, motiva suggerendo, facilitatem ostendendo, prae oculis habenda sunt D. Th. verba: *Non semper consilium, adulatio, vel aliquid hujusmodi est efficax causa rapinae. Unde tunc solum tenetur consiliator, aut palpo ad restitutionem, quando probabiliter aestimari potest, quod ex hujusmodi causa fuerit injusta acceptio subsecuta* (2. 2. *qu.* 62. *art.* 7.). Per to autem *probabiliter* (inquit Concina) S. D. intelligit moralem persuasionem, et certitudinem (*t.* 7. *de just. Diss.* 2. *cap.* 9. §. *n.* 14.): probabilitas enim, quae sit unica, absque alia probabilitate ex parte opposita moralem constituit certitudinem. Hinc 1.° excusatur à restitutione, qui consilium ante executionem damni revocaverit, ac praesertim si quo potuit modo, damnum quoque dissuadere conatus fuerit: quod tamen intelligendum sub exceptionibus supra allatis de mandante: quibus addit et aliam Lig., *si insinuaverit motivum, sive modum inferendi damnum, quia adhuc revocato consilio, haec pergunt semper movere* (l. 3. n. 559.). 2.° excusatur, si damnum etiam sine suo consilio evenisset, quia executor determinatus jam erat ad inferendum damnum, cum nulla sit obligatio restituendi, ut docet D. Th., *ubi intercesserit injuria, et non damnum* (*opusc.* 73. *c.* 20.). 3.° si dubitetur, an consilium fuerit damni causa, cum nemo ad restitutionem obligetur, nisi certo constet, quod ipse fuerit causa damni. Nec obstat similitudo de infligente vulnus lethale, qui praesumitur causa mortis, si vulneratus postea decedat, nisi aliae adsint conjecturae aperte contrarium probantes; cum vulnus sit causa mortis necessaria, consilium vero causa moralis damni. Nec arridet,

ait Lig., Concinae opinio, quod in casu, de quo agitur, facienda sit restitutio pro rata dubii: vel enim certo possidet consilium, estque ex integro restituendum: vel non possidet certo, nullaque erit restituendi obligatio, cum in dubio melior sit conditio possidentis bona sua; quod in materia justitiae certum esse omnes docent. (n. 562.).

281. Huc pertinet quaestio, an peccet, ac teneatur ad restitutionem, qui minus damnum consulit, ut majus damnum avertat? Ad quod breviter respondetur, quod nec peccat, nec ad restitutionem tenetur, si consulat adversus eamdem personam; vel etiam ex Viva, etsi adversus alteram, res tamen sit adeo tenuis, ut Dominus rationabiliter invitus non censeatur: ut volenti ex. gr. rem pauperi necessariam furari, suadeas modo, quo diximus n. 75., ut diviti potius modicum quid auferat, cum hoc sit, non tam procurare minus malum, quam majus impedire. Contradicit tamen Lig., dicens, adversus aliam personam in particulari numquam posse suaderi malum quantumcumque minus, quia sic suaderetur damnum alterius (n. 565.).

282. Huc etiam pertinet Confessarius, qui si culpabiliter, ac positive poenitentem deobligaverit a restitutione debita, vel obligaverit ad indebitam, tenetur ipse ad damnum illatum, nisi efficaciter errorem reparet, etiam cum gravi suo incommodo. Immo tenetur etiam ipse ad restitutionem, si poenitentem moneat de errore, sed postquam hic factus fuerit impotens ad restituendum, ac tempore opportuno monitus restituisset. Ratio autem est, quia suo

injusto consilio fuit damni causa. Quod si positive quidem, sed inculpabiliter, tenetur etiam errorem dedocere cum aliquo suo incommodo; idque si negligat, et peccat, et ad restitutionem tenetur ob rationem mox allatam: etsi enim absque sua culpa poenitentem deobligaverit a restitutione debita, tamen cum suum consilium pergat influere in damnum creditoris, ex justitia tenetur, cognito errore, caussam damni auferre, si commode possit; idque negligens, fit causa damni, et obligatur ad restitutionem: prout si quis inculpabiliter accenderit ignem in segetem alienam, ex justitia tenetur, si commode possit, illum extinguere, idque si negligat, fit causa damni, ac tenetur ad illud resarciendum. Haec, si positive, et culpabiliter; vel inculpabiliter, saltem sine culpa gravi, sed positive. Si vero tantum negative se habuerit, idque inculpabiliter, non tenetur quidem cum gravi suo incommodo poenitentem monere, sed tenetur cum aliquali, quia charitas quemquam obligat ad reparandum grave nocumentum proximi cum levi suo incommodo. Hoc autem mensurandum est respective ad proximi damnum; quod si gravissimum sit, aderit forte obligatio illud reparandi etiam cum notabili incommodo. Quod si negative quidem, sed culpabiliter, ad idem tenetur cum majori incommodo. Sive tamen inculpabiliter, sive culpabiliter, at tantum negative, non tenetur ad restitutionem, monitionem omittendo, cum ex una parte non tenebatur ex justitia damnum proximi impedire: ex altera vero, cum tantum negative se habuerit, defuit positivus influxus in illud. Ita Lig. l. 6. n. 621.

283. Quoad consentientem, efficax quoque causa alterius damni est, qui suo consensu, calculo, vel suffragio in illud influxit, suffragium dando, vel antequam essent suffragia ad id sufficientia; vel etsi post suffragia sufficientia, poterat tamen priores suffragatores adducere ad revocanda injusta ab iis data suffragia. In dubio autem, an suffragium fuerit ex prioribus, et necessariis, docet vera sententia ex Lig., singulos teneri pro rata, ad totum damnum reparandum: non enim tenentur in solidum ad totum damnum, quia dubitatur, an quisque illorum fuerit, necne damni causa. Tenentur vero pro rata, quia certo fuit quisque ex injustis suffragatoribus, ac ideo quisque deterioravit jus, quod damnificatus habebat ad exigendam restitutionem damni ab aliis suffragium praebentibus (l. 3. n. 566.).

284. Tenentur quoque, ut cooperantes positive ad proximi damnificationem, hanc per restitutionem resarcire et *palpo*, idest qui laude, adulatione, vel exprobratione ignaviae ad damnum inferendum induxit: et *receptans*, idest qui damnum inferenti recursum praebuit, illius instrumenta, vel furta occultando, vel fovens ea emendo: et *participans*, circa quem distinguendum, quod dupliciter potest quis esse particeps furti; vel nempe participans de re furata, et hic solum tenetur ad eam partem, quae ei obvenit: vel participans de ipsa actione damnosa, et in hoc casu ad definiendum, si teneatur in solidum, vel pro rata, consulatur quod diximus n. 241. Excipiendum tamen, si cooperatus fuerit ad damnum proximi ex gravi metu mali, quod erat superioris ordi-

nis: super quo consulatur, quod diximus ubi de cooperatione ad peccatum n. 80.

285. Sequuntur demum *mutus*, *non obstans*, *et non manifestans*, qui tenentur ad restitutionem damni, si ex justitia teneantur ad illud impediendum clamando, obstando, manifestando, et non impediant; ut Magistratus, belli duces, tutores, advocati, aliique, qui ex officio, vel stipendio, non vero ex charitate tantum, obligantur ad cavendum alterius damnum. Quid tamen dicendum de famulo, qui sciat, vel videat alium famulum, vel domesticum surripere bona, quae propriae custodiae concredita non fuerint? Probabiliter ex Lig. excusari possunt a restitutione; cum ex officio hujusmodi bona contra domesticos famulos custodire non teneantur (l. 3. n. 344.). Excipiendum tamen, si famulus furetur, et velit fugere; quia censetur tunc, scribit Stampò, velut extraneus; quem proinde si sciat, vel videat surripere, vel dilapidare Domini bona, utique tenetur ad restitutionem, si taceat, ac non obstet, et manifestet, quia ratione famulatus omnes famuli, quasi de jure gentium, censentur tacite obligari, ut res Domini ab injuriis externorum tueantur. Testis demum, qui legitime interrogatus veritatem celat, absolute excusandus est a restitutione, cum non teneatur veritatem manifestare, nisi ex praecepto Judicis, vel ex juramento, quod ei detur: ex quo sequitur, quod illam non manifestans, peccat quidem contra obedientiam, vel Religionem, sed non contra justitiam, ex cujus laesione tantum oritur obligatio restituendi.

Caput IX.

De iis, qui ad restituendum tenentur ex contractu injusto. Ac 1.° de contractibus in generali.

286. Definitur contractus *pactum duorum, vel plurium, quo scienter, libere, ac legitime sese vicissim obligant; vel saltem una pars alteri acceptanti se obligat, quocumque signo externo id fiat.* Pactum vero definitur *duorum, pluriumve in idem placitum consensus.* Porro cum contractus solo consensu perficitur, ut *emptio, locatio etc.*, nequit una pars, altera invita, resilire. Secus, si contractus scriptura, ut *census*, vel traditione, ut *mutuum, depositum, donatio, commodatum, pignus*, indigeant. In foro tamen conscientiae standum est intentioni contrahentium: qui item, si contraxerint vel absque contrahendi animo, vel absque animo se obligandi, non tenentur ad contractum, praeterquam in contractibus onerosis, ac ultro, citroque obligatoriis; quia cum defuit animus vel contrahendi, vel se obligandi, defuit quoque contractus. Diximus: *Praeterquam etc.*, dum tamen alter contrahens jam partem suam praestiterit; quia hac praestita, ex lege naturali obligatur alter contrahentium, ut suam impleat.

287. Expendamus tamen praecipue illas definitionis notas: *Scienter, libere, ac legitime. Scienter.* Hinc qui contraxit ex dolo, vel errore circa substantiam contractus, invalide contraxit, cum non contraxerit *scienter.* Quod et dictum esto ob eamdem

rationem, tametsi dolus, vel error fuerit circa qualitatem rei, si contrahens expresse contraxerit sub tali qualitate, cum tunc qualitas transierit in substantiam. Quod si defuerit haec voluntas expressa, sub tali scilicet qualitate contrahendi, valet contractus, etsi initus ex dolo, vel errore circa qualitatem rei, ac dolus, vel error dederit causam contractui: cum dici nequeat invalidus ex jure naturali, juxta quod requiritur tantum animus voluntarius quoad substantiam, licet sit involuntarius quoad accidentia: neque ex jure positivo, juxta quod contractus ex dolo initus circa qualitatem rei est tantum rescindibilis.

288. *Libere.* Quo loci quaeritur, an contractus initus per metum gravem injuste incussum nedum sit rescindibilis, ut omnes fatentur, verum etiam ex se irritus? Affirmat multi ex TT., omnesque fere Juris DD., ut Heinnecius, Puffendorfius, Burlemachius, Genuensis: etc. 1.° quia obligatio, et jus sunt correlata; ideoque ubi ex una parte nullum est cogendi jus, ex altera etiam nulla potest esse obligatio: 2.° quia si ex contractu inito per metum gravem injuste incussum oriretur obligatio justitiae, ex injustitia oriretur justitia; quod absurdum: 3.° quia ratio, quae affertur c. *Cum locum* 14. *de sponsal.*: *Cum locum non habeat consensus, ubi metus, et coactio intercedit*, etsi afferatur in casu sponsalium, universalis tamen est, cunctisque casibus communis: 4.° quia si metum incutiens ex conscientia tenetur ipsos fructus restituere ex re perceptos, dicendum plane, nullum per contractum rei dominium acquisivisse, omnis quippe res domino fructificat, ac proinde contractum ex se fuisse irri-

tum: 5.° demum quia metus gravis non tollit quidem voluntarium, ac liberum sufficiens ad peccandum, quia Deus diligendus est super omnia, etiamque super nos ipsos: bene autem tollit voluntarium, ac liberum sufficiens ad valorem contractus, quae enim fiunt ex metu gravi injuste incusso, fiunt reluctante voluntate, ita ut, sublato metu, non fierent.

289. Negat tamen communior sententia inter TT., cumque iis Lig. l. 3. n. 716., ac solum, inquiunt, sequi ex mox allatis rationibus, quod sit rescindibilis, nam ut dicitur c. *Ad Audientiam de iis, quae vi, et metu etc.*: *Quae vi, metusque causa fiunt, carere debent robore firmitatis*: quodque, ut dicitur c. 15., et 16. *de praescript.*: *Fraus et dolus nemini patrocinari debent.* Valet tamen, quia metus, etsi gravis, non tollit nec voluntarium, nec liberum. Quomodo ergo ex se irritus contractus initus per metum gravem injuste incussum, si fuit voluntarius, et liber? Quod vero metus, etsi gravis, non tollat nec voluntarium, nec liberum, nemini dubium esse potest: ad peccandum enim requiritur voluntas libera. Metus autem, etsi gravis, non excusat a peccato, exceptis praeceptis, ad quae non tenemur cum gravi damno, ac quorum transgressio non vergit in damnum commune, vel Legis, aut Legislatoris contemptum, ut diximus l. 1. n. 88.: Metus igitur, etsi gravis, nec voluntarium tollit, nec liberum. Accedit, quod l. *Si mulier ff. de eo, quod metus etc.* praecipitur Judicibus, ut tales contractus rescindant. Nullus autem rescissioni locus, ubi contractus ex se sit irritus: validi igitur.

290. Certum tamen apud omnes est, quod non va-

lent ex jure Canonico, ubi metus gravis intervenerit; 1.° Matrimonium, 2.° professio Religiosa, 3.° electio Praelati, 4.° auctoritas tutorum extorta per metum, 5.° traditio rerum Ecclesiasticarum, 6.° jurisdictio Ecclesiastica per metum acquisita, et etiam civilis, 7.° absolutio a censuris, 8.° renunciatio beneficiorum; 9.° promissio, ac solutio dotis nec non sponsalia metu extorta, ut probabilius cum Lig. dicendum, tum quia accessoria ad Matrimonium, tum quia connexorum idem debet esse judicium (l. 6. n. 844.). Ad metum autem gravem reducitur etiam metus reverentialis, qui includat timorem alicujus gravis mali: quodque dictum est de metu absolute gravi, intelligendum quoque est de metu respective gravi; modo uterque injuste incussus fuerit ad extorquendum consensum, non autem alio fine: idemque, si res ad alium bona fide pervenerit, cum res ad illum transierit cum vitio suo.

291. *Legitime*: per quod intelligitur, quod contrahentes non sint ad contrahendum ex lege inhabiles, sed jure tam naturali, quam positivo idonei sint ad contrahendum, habeantque bonorum suorum dominium, et administrationem.

292. Distinguuntur contractus in nudos, *qui nempe debitis stipantur solemnitatibus*; et vestitos *qui debitis solemnitatibus carent*: nec non in nominatos, *qui* nempe *habent propriam denominationem*, ut mutuum, census, emptio; et innominatos *qui propriam denominationem non habent*, sed genericam dumtaxat contractus, aut pacti, quique ad quatuor species reducuntur: *Do, ut des*; *do, ut facias*. *Facio, ut des*; *facio, ut facias.*

293. Quaeritur autem, an contractus nudi obligent in conscientia: cumque contractus innominati fuerint de re turpi, ut de fornicatione, de adulterio, de homicidio, de ferenda sententia injusta, habeant, necne post opus praestitum obligandi vim? Et quoad 1., Less., Lugo, Salm., aliique negant, quod contractus sine debitis solemnitatibus obligent in conscientia: cum enim lex irritans contractus hujusmodi fundetur in praesumptione, non solum doli, sed etiam periculi, hinc etiam citra dolum irriti sunt ex lege, juxta dicta lib. 1. n. 74. Contradicunt vero Molina, Soto, D. Antoninus, aliique, dicentes, quod lex humana, quamvis ex contractibus hujusmodi neget actionem civilem, non tollit tamen obligationem naturalem, ad quam sufficit consensus partium. Alii demum communius, ac probabilius, quibus Lig. adhaeret, eorumque sententiam, docet, omnino in praxi tenendam, inquiunt, praeferendum esse, possessorem, donec per sententiam Judicis re expolietur, tum ex c. *Cum sunt*, *de Reg. Jur.*, ubi sic: *Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius, quam actori*; tum quia possessio jus certum tribuit, quo nequit possessor expoliari, nisi de jure alterius constet. Nec obstat, quod objicitur a defensoribus primae sententiae ex Matrimonio clandestino, ex quo nulla prorsus obligatio oritur: cum enim contractus Matrimonii elevatus a Christo fuerit ad Sacramenti dignitatem, singularis potestas Ecclesiae simul fuit impertita, solvendi ab omni obligatione sponsos, qui sine conditionibus ab ea praescriptis illud inierint (l. 3. n. 711.).

294. Quoad alterum vero, certum est apud omnes, quod contractus de re turpi ante opus malum non obligant, cum nequeat justitia ad iniquitatem obligare. Praestito autem ab una parte opere illicito, docet probabilior sententia ex Lig., quod et altera tenetur ad solvendum promissum, ob brevem, sed revera solidam rationem, quia in omni contractu oneroso cum alter contrahens partem suam impleverit, ex lege naturali obligatur alter contrahentium, ut suam impleat (l. 3. n. 712.).

295. Probabile tamen est ex eodem Lig., quod, nec etiam post opus turpe expletum habeant contractus hujusmodi obligandi vim, quemadmodum prae aliis docent Concina, et Cont. Tourn. Quod probatur 1. ex l. ajente: *Pacta, quae contra leges, vel contra bonos mores fiant, nullam vim habere, indubitati juris est* (*l. Pacta C. de pactis*). Quod si promissio hujusmodi ante mali operis executionem nulla erat, et irrita, quia alioqui fuisset vinculum iniquitatis, nec etiam convalescit post opus praestitum ex reg. 18. Juris in 6., quod *non firmatur tractu temporis id, quod ab initio non valuit*. 2.° ex eo quod ipsa lex, quae opus malum prohibet, prohibet quoque pro eo praestito alicujus pretii solutionem, quale enim exhinc fomentum ad malum? 3.° ex eo quod peccatum non est vendibile, vendibile enim est, quod dari potest, tamquam merces pro pretio, idque ad aequalitatem, cum in omni venditione pretium exaequare debeat valorem rei. An autem hujusmodi est peccatum? Quod si in contractibus onerosis postquam una pars opus suum impleverit, altera etiam tene-

tur ad id, quod conventum fuerit: id locum habet, cum agitur de rebus, quae possunt in commercium venire, ac dari, tamquam merces pro pretio. Hujusmodi autem est ne peccatum? Nec obstat lex, quae affertur pro meretricibus, cum tantum neget actionem in foro externo ad repetendum solutum; ita enim habet: *Sed et quod meretrici datur, repeti non potest, quia licet turpiter faciat, quod sit meretrix, non tamen turpiter accipit, cum sit meretrix.* Nec etiam obstat obligatio stupratoris ducendi puellam, quam sub promissione matrimonii defloravit; ea enim oritur ex damno et illi, et ejus parentibus illato, quod nonnisi eam ducendo, potest alioqui ad aequalitatem reparari.

296. Quibus positis; quia et affirmans, et negans sententia, contractus de re turpi post ipsum opus praestitum vim obligandi habere, defenditur a gravissimis DD., et solida nititur probabilitate, cuicumque idcirco aliquid acceperit ob opus malum consulet quidem Confessarius, ut iniquitatis suae fructum in eleemosynis impendat, ne ex peccato lucrum reportet, sicque vel ad crimen alliciatur, vel ad illud, utpote boni sui originem, affectum conservet; ex quo sequitur, quod ea, quae quis occasione criminis recepit, vix umquam absque suae salutis periculo servare potest: ad id tamen nec debet, nec potest absolute loquendo poenitentem cogere sub negatione absolutionis. Sicut etiam si poenitens aliquid alteri solvendum promiserit ob opus turpe, adhuc post opus praestitum potest, sin illum obligare, saltem monere, quod potius quam promissario illud solvat, in eleemosynis,

aliisve piis operibus impendat. Excipiendum tamen quoad utrumque, si ex circumstantiis aliud Confessarius expedire non judicet; ut si is, qui consensit operi malo ob mercedem, gravi necessitate laboret; si ex mercede accepta honeste collocari vellet; etc.

Caput X.

De contractibus in particulari: ac 1.° *De promissione, et donatione.*

297. Definitur promissio *libera, et spontanea fidei datio de re licita, et possibili. Fidei datio*, ut distinguatur a donatione, in qua non est fidei datio, sed rei. Distinguitur autem in *onerosam*, qua alteri imponatur onus; atque hanc, nemo dubitat, obligare; et *gratuitam*, seu *liberalem*, de qua etiam nemo dubitat, posse quandoque ex accidenti graviter obligare, si ei scilicet promissarius confisus, sibi non prospiciat, ac grave damnum patiatur. Idem ne tamen de hac dicendum secundum se? Ita quidem prae aliis docet D. Antoninus, quod nempe, etsi mere liberalis, in re gravi tamen, sub gravi obligat: cum enim per promissionem acquirat promissarius jus in rem promissam, hinc si res promissa est gravis, eique negatur, negatur ei res gravis, in quam habet jus, ideoque graviter peccatur. Negant vero alii aeque probabiliter, etsi de re gravi, ut enim D. Th. ait, obligat *tantum secundum honestatem*, *non secundum jus civile* (*2. 2. qu.* 88. *art.* 3. *ad* 1.), idest non secundum justitiam, ut explicant Salm.: utque habetur ex

L. Juris gentium §. Si cum null. ff. de Pactis: Nuda pactio obligationem non parit. Alii tandem aeque etiam probabiliter ex Lig. l. 3. n. 720, docent, quod obligat juxta mentem promittentis, volentis, vel non se obligare, quia omnis obligatio, quae non oritur ex lege, pendet a privata hominis voluntate; ideoque ubi desit voluntas se obligandi, omnis quoque obligatio deesse debet. Regulariter autem nolle homines simplici promissione se obligare ex justitia, ex eo patet, quod suas promissiones regulariter jurare recusent, non tam ob reverentiam nominis Divini, quam quod se stricte obligare nolunt. Immo regulariter nolle aliud significare, nisi merum animi propositum, ex eo colligi videtur, quod propositum non peccandi ante Confessionem emittentes, promittunt quoque Deo, se numquam peccaturos.

298. Quidquid sit, certum est 1.°, quod etsi promittens voluerit se absolute obligare, nullam tamen obligationem contrahit ante acceptationem promissarii, ac potest promissionem pro libito revocare; tum quia ante acceptationem promissarii deest conventio duorum in idem, ex qua sola oritur obligatio; tum quia nemo de jure naturali potest acquirere ullum jus in rebus alienis absque sui ipsius consensu, ex quo sequitur, quod ante acceptationem nullum promissarius acquirit jus in rem promissam. 2.°, quod promissio, etiam post acceptationem, non obligat, si res promissa reddatur postea vel impossibilis, vel nociva, vel inutilis, vel superveniat mutatio notabilis, vel circumstantia impraevisa, quae si praevisa fuisset, promissio non fuisset facta, ex dictis de voto n. 120.

299. Ad donationem modo progredientes, definitur haec *liberalis rei alicujus collatio*, *idest traditio realis*, *pariens dominium*, *et jus in re*. Distinguitur autem in donationem inter vivos, eaque est, *qua quis sic donat*, *ut velit rei donatae dominium*, *se vivente*, *in donatarium transferri*: et donationem causa mortis, eaque est, *qua quis actualiter quidem donat*, *sed tantum vult*, *se mortuo*, *dominium transferri*. Hinc licet ab homine sano fieri possit, mortis tamen intuitu fieri debet cum ejusdem mortis mentione, secus donatio est inter vivos. Inter utramque autem istud praecipue est discrimen, quod donatio inter vivos est ex se irrevocabilis; revocabilis vero, si mortis causa.

300. Sunt porro jure naturali ad donandum inhabiles; 1.° carentes rationis usu, ut pueri, ac amentes; 2.° senes deliri, qui dicuntur bis pueri, secus si sint judicio vegeto; 3.° muti simul, ac surdi nati, nisi norint scribere, quia certo constare nequit de eorum voluntate; 4.° omnes non habentes vel dominium, vel administrationem bonorum, quae donentur; 5.° demum debitis gravati, quia esset in creditorum praejudicium: quorum proinde donationes acceptari nequeunt, utpote quibus fierent impotentes ad solvendum; iisque factis, de jure positivo creditores infra annum a die scientiae habent actionem contra recipientem sive titulo lucrativo, sive oneroso, ad vindicandam rem scienter acceptam in eorum fraudem, nullo restituto pretio, ex l. *Quia debitores*, aliisque. Jure autem positivo sunt ad donandum inhabiles. 1.° pupilli, vel impuberes, nisi ad pias causas; de quibus tamen opportunius suo loco. 2.° vel mortis supplicio, vel trire-

mibus, aut exilio in perpetuum damnati, quia civiliter mortui. 3.° usurarii, nisi prius satisfecerint, vel cautionem praestiterint, ac nisi ad pias causas. 4.° conjuges, quorum donationes inter vivos sibi mutuo factae sunt nullius momenti, nisi vel firmentur juramento, vel morte donantis, qui ante donatarium decedat, ac rem adhuc in vita tradiderit; vel nisi sint remuneratoriae; vel demum nisi vir sit prodigus, et donet uxori, vel haec donet viro, ut officium aliquod consequatur. 5.° parentes respectu filiorum sub patria potestate degentium, si eorum donationes sint inter vivos, et nisi vel juramento, vel morte firmentur; nec fiant studiorum, vel matrimonii causa; nec demum sint de fructibus peculii adventitii: sicut etiam excipitur, si filius sit tantum naturalis. Sub nomine tamen Parentum intelligitur tantum Pater, donationes enim factae a matre firmitatem habent, sicut etiam donationes parentibus a filiis factae. Advertendum quoque est, quod in praedictis exceptionibus nec etiam donatio esset valida, si esset inofficiosa, laedens scilicet aliorum filiorum legitimam, vel creditores. Sicut etiam, quod si donatio fuerit facta filio studiorum causa, non tenetur filius eam computare in legitimam, tum quia se habuit loco alimentorum; tum quia, si detrahatur, non fuisset donatio contra hypothesim, qualem fuisse praesumendum est, nisi constet de contraria patris intentione. Quod et extenditur ad expensas pro libris, pro gradu Doctoratus, vel alia dignitate, pro ingressu in militiam, ac demum, ut filius liberaretur a vinculis, vel a poena criminis; nisi Pater contrarium expresserit, vel sumptus scripserit in li-

bro rationum cum filio. 6.° Improbatur quoque, et irrita a jure positivo declaratur donatio, aut remissio debitorum superans summam 700., vel secundum alios 800 aureorum Italicorum quoad hunc excessum: nisi facta fuerit coram Judice, qui mandaverit Notario eam referre in Actis (Inst. l. 2. tit. 7. §. 2.); vel nisi fuerit ad pias causas, aut juramento firmata, aut in remunerationem: 7.° demum improbatur, et irrita a jure positivo declaratur donatio inter vivos omnium omnino bonorum. Quae omnia ap. Lig. l. 3. n. 721., et sequ.

301. Posito autem, quod donatio et jure naturali, et jure positivo sit valida, nec etiam tamen obligat ante acceptationem, ut de promissione diximus n. 298, iisdemque rationibus probatur; sed semper revocabilis est, tametsi, ait Lig., juramento firmata, quia juramentum est accessorium actui, ac proinde sequitur artus naturam (l. 3. n. 727.). Si tamen ad pias causas facta fuerit, etsi nec etiam valeat ante acceptationem, utpote quae de ipso jure naturali requisita ad donationis valorem, potest tamen a quocumque particulari acceptari: immo si intentio donantis feratur in Deum, in hoc casu, etiam absque acceptatione valet, ut votum; utque votum habenda est etiam in dubio de intentione donantis, quia cum donatio fit in favorem alicujus causae piae, intentio donantis communiter in Deum fertur, ac recte praesumitur, quod communiter accidit. Item cum facta fuerit praesenti, et tacenti, jam censetur ab eo acceptata, quia in favorabilibus locum habet regula 43. Juris in 6.: *Qui tacet, consentire videtur.*

Immo non semper necesse est, ut acceptatio fiat ab ipso donatario, multis namque in casibus, dummodo verba dirigantur in praesentem, illam acceptare potest pater, vel mater pro filio etiam emancipato, tutor pro pupillo, curator pro minore, filius familias pro patre, servus pro Domino, Monachus pro Monasterio, ac secundum multos quicumque alterius curam gerat, ut Praelatus pro Religioso, maritus pro uxore, Dominus pro servo, etc. idemque jura permittunt Judicibus, et Notariis publicis.

302. An autem possit valide acceptari post mortem donantis; sunt, qui affirmant, si jam facta fuerit, et donans ante mortem nuncium, aut epistolam miserit, quia donatio permanet virtualiter in litteris, vel nuncio misso. Probabilius tamen ex Lig. negatur, quia post mortem donantis nequit ejus voluntas uniri cum donatarii consensu, ut ad acceptationem requiritur. Si tamen hic in bona fide acceptaverit, juste retinere potest, cum jam acquisiverit legitimam possessionem. Secus, si mala, vel dubia fide, cum qua numquam inchoatur legitima possessio. Certum porro est, quod si donatio facta jam fuerit a nuncio, et tam hic, quam donatarius fuerit inscius mortis donantis, valet donatio, ut habetur ex l. *Inter causas*, ubi dicitur: *Si tamen* mandatum *per ignorantiam impletum est, competere actionem utilitatis causa decit.* Sicut etiam certum est, quod mortuo donatario, non potest haeres donationem acceptare, quia haeres succedit in juribus realibus defuncti, non autem personalibus, ut est jus acceptandi donationem: ac solum Less. excipit filium donatarii,

cum talis praesumatur voluntas donantis (l. 3. n. 730.).

303. Facta demum donatione, eaque acceptata, acquiritur jus ad rem donatam; atque hac tradita, jus in re, etsi donatio facta fuerit sub spe, quod donatarius aliquid fuisset facturus, vel animo eum ad hoc flectendi, cui postea se neget: nam etsi donans non dedisset, si scivisset eum sibi non consensurum, tamen dedit absolute absque ulla obligatione juxta hypothesim: ex quo sequitur, secus dicendum esse, si intendisset donatarium obligare, et hac conditione dedisset. Ita idem Lig. l. 3. n. 734.

304. Quamvis autem donatio inter vivos sit ex se irrevocabilis, ut diximus, revocari tamen potest, nisi fuerit remuneratoria, aut facta Ecclesiae, vel Monasterio: 1.° ob enormem ingratitudinem donatarii ex l. 10. *de revoc. donat.*: *Si in donantem injurias atroces effundat, vel manus impias inferat, vel vitae periculum aliquod ei intulerit, vel conventiones quasdam sive in scriptis donationi impositas, sive sine scriptis habitas, quas donationis acceptor spopondit, minime implere voluerit.* Addunt DD., *si donatarius carnaliter cognoverit uxorem, vel filiam donantis.* Debet tamen ingratitudo coram judice dilucidis argumentis probari, ante cujus sententiam non tenetur donatarius restituere, post eam vero etiam fructus perceptos post litis contestationem. Ab haeredibus tamen non potest donatio ob talem causam revocari, si donator eam scivit, et tacuit: potest vero, si eam ignoravit: 2.° ob prolem susceptam post donationem ex l. cit.: in quo casu, si donatio facta fuerit extraneo, potest ex toto revocari; si vero ali-

cui ascendentium, aut causis piis, tantum quantum opus est, ut filii legitima fruantur: 3.° si fuerit inofficiosa ex l. 1. Cod. *de inoffic. don.*, in praejudicium nempe filiorum, qui eadem legitima inde privarentur. Quae, ut advertit Lig., si facta fuerit extraneis animo fraudandi filios, tota infirmatur; si vero aliis descendentibus, vel piis causis, infirmatur tantum quoad partem, in qua filii fraudantur (l. 3. n. 740.).

Caput XI.

De commodato, precario: et deposito.

305. Definitur commodatum *contractus, quo res aliqua quoad solum usum gratis alteri conceditur usque ad definitum tempus*. Quod si non definiatur, dicitur precarium, quod ideo definitur: *Contractus, quo petenti conceditur res utenda, donec concedens repetat*. Etsi autem commodans non possit absque injustitia rem suam repetere ante definitum tempus, id potest tamen, si ex casu inopinato re sua indigeat, quia non censetur usum rei suae gratis concessisse, nisi sub tacita conditione: *Nisi interea contigerit, rem mihi esse necessariam*. Commodatarius vero tenetur: 1.° non uti re commodata, nisi ad usum sibi concessum; 2.° illam definito tempore restituere; 3.° ad impensas ordinarias, et modicas necessarias ad rei conservationem; 4.° demum ad maximam diligentiam, et curam ad rem commodatam integre, et in bono statu conservandam, ex inst. *Quibus modis*, et ex l. 18. §. *commod.*, ubi sic dicitur: *In rebus commodatis ta-*

lis diligentia praestanda est, qualem quisque diligentissimus pater familias suis rebus adhibet. Additur c. 1. *de commod.*: *Cum gratia sui tantum quis commodatum accepit, de levissima etiam culpa tenetur; licet casus fortuitus (nisi acciderit culpa sua, vel intervenerit pactum, seu in mora fuisset) non debeat imputari.*

306. Definitur depositum *contractus, quo aliquid traditur alteri custodiendum, ut integrum reddatur.* Distinguitur autem in judiciale, et privatum. Primum, quod etiam dicitur sequestrum, est *contractus, quo res, de qua est controversia, alteri custodienda traditur, ut ei restituatur, cui adjudicata fuerit.* Alterum vero est illud supra definitum. Est autem depositum res adeo sacra, ut leges tum canonicae, tum civiles vetent depositario illud sibi retinere titulo compensationis (c. 2. *de depos.*, et l. 11. Cod. *Depos.*): immo et illo uti, nisi ex legitima praesumpta deponentis voluntate (l. 29. ff. *depositi*). Tenetur etiam ex legibus, si illud perierit, de culpa lata, si depositum fuerit in commodum solius deponentis: sed et de culpa levi, si vel seipsum pro deposito obtulerit, vel aliquid pro ejus custodia receperit (cod. 2. *de depos.*): et etiam de culpa levissima, si res, utpote pretiosa, diligentissima custodia indigeat, vel convenerit de maxima custodia, vel demum depositum sit in favorem solius depositarii; ut si quis apud alium deponat pecuniam cum facultate, ut ea utatur, si velit (l. 1. ff. *depos.*, et l. 4. *de rebus creditis*).

307. Si tamen depositarius certo resciat, rem depositam esse furtivam, cuinam illam reddere debet?

Qua super re audiatur Genuensis: *È un caso di legge* (Thryphoninus l. 31. ff. *depositi*, et *contra*), *che se il depositario venga a sapere, che la cosa deposta è furtiva, e si presenta il deponente, non il padrone, a chi de' due deve restituirla? Renderla al deponente è violare il dritto del padrone: restituirla al padrone è franger la fede dell' amicizia: a chi dunque de' due? La detta legge stabilisce, che si dia al deponente, essendo minor male il non riconoscere il dritto del padrone, che mettere in dubbio la fede pubblica, primo sostegno de' contratti, e de' corpi civili. Il padrone avrà sempre l'azione contro il deponente: ma il depositario non deve esser giudice tra il deponente, ed il padrone, nè servire di spia in un delitto privato. Se però si presenti il ladro, ed il padrone, sarebbe una protezione del ladrocinio restituirla al primo* (Diceosina).

308. Tandem an res aliena commodata, deposita, sicut etiam conducta etc., debeat praeferri propriae, si utraque conservari nequeat, ut in periculo incendii, naufragii, etc., respondendum est distinguendo: vel res propria est pretiosior aliena; vel aliena est pretiosior propria; vel utraque est aeque pretiosa. In 1.° casu, potest conservari propria prae aliena, quia naturalis aequitas non exigit, ut quis impediat minus damnum alterius cum majori suo damno. Si tamen res aliena erat commodata, restituenda est Domino in aequivalenti, ex lege, quod commodatarius non teneatur compensare damnum ex incendio, vel ruina ortum, *nisi cum posset res commodatas salvas facere, suas praetulit* (l. 5. §. 4. ff. *commodati*). In 2.° casu,

ex justitia debetur aliena propriae praeferri, quia in contractibus ea debetur alienis rebus custodia, quam quisque rebus suis adhiberet; nec quisque est, qui in periculo res suas pretiosiores non praeferret vilioribus. An vero cum praetulerit rem alienam propriae, possit damnum repetere, quod ad servandam rem alienam in re sua passus est, inspicienda est natura contractus. Nam si rem alienam acceperit ex contractu cedente in utilitatem solius dantis, potest repetere pretium rei suae, quam perdidit, ut alienam servaret. Si ex contractu cedente in utilitatem utriusque, valoris rei suae exigere potest tantum dimidium. Si demum ex contractu cedente in utilitatem dumtaxat sui ipsius, pro re sua deperdita nihil repetere potest; postulat enim aequitas naturalis, ut contrahentes sentiant damnum pro ratione commodi, quod ex contractu recipiunt. In 3.° casu, potest res propria praeferri alienae, si haec habeatur ex contractu cedente in utilitatem dantis, vel utriusque. Si tamen ex contractu cedente in utilitatem dumtaxat sui ipsius, aliena praeferenda est propriae, cum ita exigat maxima illa diligentia, quae in hujusmodi contractibus praestanda est: nec potest aliquid repeti in compensationem rei propriae deperditae, quia aequitas postulat, ut qui solus sentit commodum, solus quoque incommodum sentiat. Ita igitur super quaestione proposita, ex communi. Quod si aliter res deposita, vel commodata perierit, et depositarius, vel commodatarius dubitet, an sua culpa perierit, non tenetur in conscientia, ut ait Lig., ad restitutionem, quia in dubio non praesumitur delictum, ex l. *Merito ff. pro Socio* (l. 3. n. 751.).

Caput XII.

De mutuo, et usura.

309. Definitur mutuum *contractus, quo res numero, pondere, vel mensura constans, ita traditur alteri, ut in eum dominium transferatur; cum obligatione post aliquod tempus restituendi eamdem, vel similem specie, ac bonitate.* Ut autem habetur l. 3. Instit. tit. 16.: *mutuum appellatum est, quia ita a me tibi datur, ut ex meo tuum fiat*: ex quo sequitur, quod si fortuito pereat res mutuata, perit mutuatario, cum penes eum sit rei dominium. Sicut etiam, quod de re mutuata potest pro libito disponere, cum solum teneatur eam reddere tempore statuto, non in individuo, sed in eadem, vel simili specie, ac bonitate. Qua super re notandum tamen. 1.°, quod mutuum praestitum Ecclesiae, causae piae, vel Universitati non potest repeti, nisi probetur, in utilitatem illius conversum fuisse (l. *Civitas* ff. *Si certum petatur*). Si tamen Praelatus cum consensu Capituli, vel Gubernator cum consensu officialium recipiat mutuum nomine Ecclesiae, vel Universitatis, mutuum reddendum est. 2.° quod accepto mutuo a minore, nec etiam hic tenetur, etiam major factus, restituere (lib. 3. C. *quando facta tut.*). Quod tamen intelligendum, nisi factus sit ditior. 3.° quod mutuum datum filiis familias carentibus bonis castrensibus, vel semicastrensibus sine consensu saltem tacito parentum, neque etiam ab illis tam in foro externo,

quam interno est restituendum, nequidem post mortem patris (l. 1. c. *de Sen. C. Maced.*): praeterquam 1.° si mutuum fuerit in aliis rebus, quam in pecunia, de qua lex loquitur. 2.° si filius juraverit solvere. 3.° si mutuum datum fuerit sciente, et non contradicente patre; vel si conversum fuerit in utilitatem patris, aut filiorum in rebus, quas pater iis praebere tenebatur; vel si res mutuata adhuc extet; vel demum si pater solvere solitus fuerit debita filiorum. Atque haec quoad mutuum sufficiant; plura enim dicenda sunt de usura.

310. Definitur haec *lucrum ex mutuo praecise vi mutui.* Per lucrum autem usurarium non solum pecunia intelligenda est, verum etiam omne onus pretio aestimabile, et quod pecunia mensurari possit, quodque ex justitia non sit debitum, et tamen exigatur, vel in pactum ducatur, tamquam ex justitia debitum: ex quo dum sequitur, quam late pateat usura, sequitur simul, quod benevolentia, utpote pretio non aestimabilis, uti etiam solutio debiti ex contractu, vel delicto, cessatio a vexatione injusta, et alia hujusmodi absque usurae labe et peti, et accipi possunt. Pactum vero remutuandi, si fiat pro tunc, idest una simul, licet; secus, si in posterum. Primum, quia ad benefaciendum licite petitur aliud beneficium. Alterum, quia esset onus, quod mutuatario imponeretur vi mutui. Quamvis autem, mutuo gratis dato, non sit usura aliquid accipere sponte, ac liberaliter oblatum, uti enim mutuans licite poterat ante mutuum aliquid gratis accipere, ita et postea, nisi dicatur effectus pejoris conditionis per hoc, quod mutuavit;

advertendum tamen est, quod si acceptans donum a mutuatario non admodum indigente, ac liberali, qui protestetur illud omnino sponte, et ob gratitudinem tribuere, usurae insimulari nequit, illud caeterum acceptans a mutuatario indigente, et paupere, etiamsi protestetur illud sponte tribuere, usurae saltem periculo se committit; recte enim praesumitur, mutuatarium hujusmodi ideo illud mutuanti offerre, vel quia persuasum habet, a mutuante expectari, vel quia timet, quod in posterum indigens, mutuum non inveniet (Lig. l. 3. n. 761., et l. 6. n. 605.).

311. Hic etiam loci ducimus advertendum, quod Montes pietatis, ut ex tradita definitione sequitur, non sunt usurae insimulandi: quamvis enim a pauperibus, qui mutuum inde accipiunt, aliquid ultra sortem exigatur, non tamen auctarium illud exigitur ratione mutui, sed pro expensis, et indemnitate montis, ad cujus conservationem, et administrationem assistere debent ministri, quibus debetur merces, eaque si sumeretur ex ipso monte, hic brevi exhauriretur. Hinc cum hujusmodi montium conservatio, administratio, et indemnitas ipsis pauperibus sit perutilis, ut semper paratam pecuniam invenire possint absque necessitate adeundi usurarios cum majori suo damno; ipsismet proinde est perutile, ut pro ea aliquid conferant, quod idcirco est aequum, fuitque adprobatum a Concilio Lateransi V. Caeterum in Montibus pietatis de novo erigendis nihil ultra sortem exigi posse ab iis, qui mutuum ab eo accipiunt, etiam titulo expensarum, nisi ex Apostolicae Sedis Dispensatione, decrevit S. C. Conc. die 7. Febr. 1737., ut

videre est apud Ben. XIV. de Syn. Dioec. l. 9. c. 47.: sicut neque absque beneplacito ejusdem Sedis Apostolicae plus quam ante fuerit consuetum ex alio Decreto ejusdem S. Cong. (*ibid.*).

312. At praeter definitam usuram habetur quoque usura mentalis, idest *usura absque ullo pacto, sed mente concepta.* Hanc autem committit mutuans principaliter sub spe lucri, *alias non mutuaturus*; sive ut habetur ex cap. *Consuluit* de usuris, *non alias mutuo traditurus.* Mutuans vero ob animum beneficum erga mutuatarium, cum aliqua spe lucri quidem, sine ea tamen etiam mutuaturus, immunis est ab usurae labe, et nec etiam animo est usurarius.

313. His praemissis: Lucrum quaerere ex mutuo ratione ipsius mutui, in quo consistit usura, ut diximus, licitum esse, docuit Calvinus, modo exigatur, non a paupere, sed a divite: idque subinde propugnavit et Carolus Molinaeus, docens, quod, exceptis pauperibus emendicata stipe viventibus; quibus eleemosyna subveniendum est; sicut etiam pauperibus pro tempore indigentibus, sed valentibus postea mutuum restituere, quibus subveniendum est mutuo gratuito; bene tamen a caeteris, qui nihil indigent, sed rem suam negotiatione amplificare student, potest aliquid supra sortem exigi ratione mutui: et Claudius Salmasius, docens sub eadem distinctione, quod licet ab iisdem exigere lucrum ex mutuo ratione mutui, eo quod sit merces locatae pecuniae: sicut etiam et Barbeyrac, et Boemerus, aliique ex Protestantibus apud Ben. XIV. l. cit.; quibus veriti non sunt subscribere etiam aliqui ex Catholicis, quos

inter nuperrime Maffei, et Genuensis, distinguentes et ipsi duplex mutui genus; unum nempe, quo pecunia, aliave res datur ad consumptionem, atque ab hoc mutui genere utique fatentur illicitum quidquid exigatur ultra sortem: alterum, quo datur ad negotiationem, atque ab hoc licitum docent exigere aliquid ultra sortem, modo moderatum.

314. Absolute tamen, atque indefinite tenendum, minime licere jure et canonico, et Divino, et naturali quodcumque lucrum ex mutuo ratione mutui, idest usuram. Et 1.° quod non liceat jure canonico, patet ex toto titulo *de usuris*, nec non ex poenis contra usurarios statutis, nullo inter eos facto discrimine: usurarii enim manifesti, ac notorii sunt ex jure canonico 1.° infames, ideoque irregulares, et inhabiles ad officia, et Beneficia. 2.° privantur communione Altaris, et sepultura Ecclesiastica, nec eorum oblationes accipi possunt. 3.° nequeunt absolvi, nisi satisfecerint, vel cautionem dederint; sub qua conditione irritantur quoque eorum testamenta. 4.° contra Clericos adest suspensio ab Officio, et beneficio; contra Laicos vero excommunicatio, utraque tamen *ferendae sententiae*. 5.° demum Judices, qui compellant ad usuras solvendas, et vetent solutas repeti, ipso facto sunt excommunicati ex Clementina unica de Usuris, nisi tamen (excipit Lig.) ob bonum publicum id permittere expediret (l. 3. n. 787.). Vetitam quoque esse jure Divino, constat et ex illis verbis apud Ezech.: *Uxorem proximi sui polluentem, egenum, et pauperem contristantem, rapientem rapinas, pignus non reddentem, et ad idola levantem ocu-*

los suos, ad usuram dantem, et amplius accipientem, numquid vivet? Non vivet, cum universa haec detestanda fecerit (18.): ubi notandum quoque, numerari usuram inter maxima facinora. Et ex Psalm., ubi: *Quis habitabit in tabernaculo tuo? . . . Qui pecuniam suam non dedit ad usuram* (14.). Et ex illis Christi verbis apud Luc. *Mutuum date nihil inde sperantes* (6.). In quem locum ita D. Th. *Dare mutuum non semper tenetur homo, et ideo quantum ad hoc ponitur inter consilia: sed quod homo lucrum ex mutuo non quaerat, hoc cadit sub ratione praecepti* (*2. 2. qu. 78. art. 1. ad 4.*). Ubinam etiam in relatis locis discrimen ullum personarum, a quibus usura exigatur?

315. Quod autem vetita etiam sit jure naturali, perpetua fuit, et est, ut loquitur Ben. XIV. l. cit., *Ecclesiae Catholicae doctrina, omnium Conciliorum, Patrum, ac Theologorum unanimi consensione firmata.* Et sane, ubi agatur de rebus, quae usu consumuntur, cujusmodi sunt, quae dantur mutuo, earum usus ab earumdem dominio non distinguitur; ideoque eo ipso, quod earum usus concedatur, conceditur quoque una simul earumdem dominium. Hinc sequitur, quod si ultra sortem quaeratur aliquid ob earum usum, vel venditur id, quod non extat, usus nempe earum, qui non extat seorsim ab earumdem dominio; vel idem bis repetitur, primum nempe in restitutione sortis, ac secundo, tametsi partialiter, in acceptione illius, quod ultra sortem exigitur. Utrumque autem est contra jus naturale. Primum, ut ex se patet. Alterum, quia jus naturale in omni contractu aequalitatem praecipit, vetatque exigi plus, quam datum fuerit: Usuram igi-

tur ipso jure naturali prohiberi, consequens est. Et sane cum res non est usu consumptibilis, ut *domus*, *equus*, *etc.*, tunc quidem rei usu tradito, potest deinde exigi et redditio rei, et praeterea auctarium pro ejus usu, quia hic ab ipsa re distinguitur. Cum vero res est usu consumptibilis, *ut pecunia*, *frumentum*, *etc.*, tunc rei usu tradito, si praeter redditionem rei quaeritur insuper auctarium pro ejus usu, dum hic ab ipsa re non distinguitur, an non manifeste venditur id, quod non extat; idemque, ac si quis ab ejus debitore vellet in redditione debiti plus, quam illi dedit? Cum tamen argumentum sit D. Th., operae pretium sit ipsum S. D. audire: *In illis rebus, quarum usus est consumptio, non est aliud usus rei, quam ipsa res; unde cuicumque conceditur usus talium rerum, conceditur etiam ipsarum rerum dominium, et e converso. Cum ergo aliquis pecuniam mutuat sub hoc pacto, quod restituatur sibi pecunia integra, et ulterius pro usu pecuniae vult certum pretium habere, manifestum est, quod vendit seorsum usum pecuniae, et ipsam pecuniae substantiam; unde vel vendit id, quod non est, vel vendit idem bis. Et eadem ratio est de omnibus aliis rebus, quarum substantia per usum consumitur* (2. 2. *qu.* 78. *art.* 1.)

316. Hinc patet responsio ad id, quod scribit Genuensis, ut suadeat usuram lege naturali vetitam non esse: *Siccome il commodato, contratto benefico, può trasmutarsi in affitto, così il mutuo, contratto parimente benefico, può trasmutarsi in contratto innominato: Do, ut des pretium usus: imperochè essendo*

questi contratti benefici, nè essendo noi sempre obbligati a far de' benefizj, seguita, che possiam vendere per un dato prezzo l' uso di ciò, ch' è nostro. Sono altro le arti, ed i mestieri tutti quanti? E così dove non sono obbligato al benefizio, siccome posso darti a fitto quel, che tu vuoi prestato, così posso venderti l' uso del mio denaro. Come l' uomo si ha rotta una gamba, e posso toglierlo di terra, e condurlo a casa, è un obbligo, che m' impone la natura, nè posso pattuire l' uffizio, che gli presto, senza essere inumano, ed ingiusto. Ma se egli stando così bene, come me, e forse anche più, mi dica, toglimi addosso per dilicatezza, gli dirò, pagami, compagno (*Diceosina*). Quis enim non videat latum discrimen inter commodatum, et mutuum, cum commodatum sit de iis, quae non consumuntur usu, quorum usus proinde cum distinguatur a dominio, bene est vendibilis: mutuum vero de iis, quae usu consumuntur, quorum usus proinde cum a dominio non distinguatur, non est vendibilis, utpote non existens seorsim a dominio? Ex eo autem, quod mutuum dare est praestare beneficium, tam longe abest, quod liceat propter hoc aliquid exigere, quin potius quia mutuum est beneficium, ideo etiam est essentialiter gratuitum: *Non enim* (ajebat Tullius) *beneficium foeneratur* (l. *de amicitia*).

317. Quod vero mutuatarius impendat pecuniam mutuatam lucrosae negotiationi nec etiam aliquid facessit ad usuram honestandam. Si enim pecuniam mutuatam fortuito amittat, cujus est amissio? Ipsius profecto. Ipsius igitur etiam est ejusdem dominium, o-

mnis namque res perit Domino: atque hinc quodvis lucrum ex ipsa faciat, dici nequit, nisi fructus suae industriae ex pecunia, cujus ipsemet erat Dominus. Habeatur ergo prae oculis, quod res mutuata non est amplius mutuantis, sed mutuatarii, et difficultas evanescit, quam tanti aestimat Molinaeus: quam enim justitiae adversum, quod quis quaerat lucrum ex re non sua; ac ex re de se infrugifera, et solum frugifera ex industria mutuatarii, fructum exquirere? An non idem, ac si quis vendens rem, quae esset utilis emptori ob industriam ipsius emptoris, aliquid pro ea exquirat ultra justum pretium, quia emptori utilis? Praeterquamquod postulat justitia, ut qui de damno non participat, nec etiam de lucro participare vel debeat, vel possit. Jam vero si mutuatarius et industriam, et sortem ipsam in negotiatione amittat, participat ne mutuans de damno, quod mutuatarius patitur? Neque igitur de lucro participare vel debet, vel potest. Omnia autem superius tradita complectens Ben. XIV. in Bulla *Vix pervenit*, ita declaravit: *Neque vero ad istam labem purgandam ullum arcessiri subsidium poterit, vel ex eo, quod id lucrum] non excedens, et nimium, sed moderatum, non magnum, sed exiguum sit; vel ex eo, quod is, a quo id lucrum solius causa mutui deposcitur, non pauper, sed dives existat, nec datam sibi mutuo summam relicturus sit otiosam, sed ad fortunas suas amplificandas utilissime sit impensurus.*

318. Nec demum ad illam honestandam aliquid facessit Jus civile, nam, ut loquitur D. Th.: *Jus civile usuras tolerat, non quasi existimans esse secun-*

dum justitiam, sed ne impediantur utilitates multorum (2. 2. *qu.* 78. *art.* 1.). Utque alibi docet: *Quandoque jus positivum permittit aliquid dispensative, non quia sit justum id fieri, sed ne Communitas majus incommodum patiatur* (2. 2. *qu.* 3. *dist.* 4. *ad* 5.).

219. Ex injustitia autem usurae hactenus demonstrata manifeste sequitur, quod usurarius non acquirit dominium lucri per usuram acquisiti, utpote ex contractu, qui omni jure erat nullus. Ubi ergo titulus, qui est radix dominii, ac sine quo simplex traditio rei dominium non transfert, ex dictis n. 217.? Quare ait D. Th.: *sicut alia injuste acquisita tenetur homo restituere, ita pecuniam, quam per usuram accepit* (2. 2. *qu.* 78. *art.* 1.). Immo et praebens vel consilium, vel pecuniam pro usuris tenetur quoque ad restitutionem, si id fecerit in gratiam usurarii, secus si in gratiam mutuatarii, quia scilicet proximi damno cooperatus fuit; utque Ap. loquitur: *Non solum digni sunt morte, qui ea faciunt, sed etiam, qui consentiunt facientibus* (*Ad Rom.* 1.). Nec solum denique usurarius tenetur ad restitutionem, sed, eo non restituente, ad illam tenentur ejus haeredes, licet ex Lig. singuli pro rata. Primum; quia haereditas transit ad haeredem cum suo onere. Alterum, quia, ut disserit Cajetanus: *Filii tenentur; sicut et patres, ad omnes obligationes super bonis relictis. Sed quia Pater est tota persona; totam habet obligationem. Quia vero quilibet haeres* (scilicet filius) *est pars illius personae, partem tantum obligationis subit* (l. 3. n. 790.).

320. Adsunt tamen casus, in quibus ex mutuo exigi potest aliquod lucrum absque usurae labe: cum enim

usura sit, ut diximus, *lucrum ex mutuo praecise vi mutui*, hinc si ex mutuo aliquid exigatur ultra sortem ratione alterius tituli, qui sit mutuo extrinsecus, nec quid commune habeat cum mutuo, auctarium illud usurarium non erit, sed licitum. Quatuor porro numerantur, scilicet 1. *lucrum cessans*, 2. *damnum emergens*, 3. *periculum extraordinarium sortis*, 4. *poena conventionalis*; de quibus proinde nunc agendum.

321. Et quoad 1.^m, ut sit justus, necesse est 1.°, ut mutuum vere sit causa lucri cessantis: ex quo sequitur, quod si mutuans habeat aliam pecuniam otiosam, quam negotiationi possit substituere, nihil potest accipere ob mutuatam: nisi, ut Lig. excipit, pecuniam quam otiosam habeat, reservasset ad usum familiae, ad domum scilicet alendam, filias dotandas, senectutem solandam, etc., numquam pecuniam hujusmodi negotiationi expositurus; tum quia hoc posito, eam sic habet quoad negotiandum, quasi non haberet; tum quia non tenetur ob mutuatarium suam providentiam negligere (l. 3. n. 771.). Hinc etiam sequitur, quod si lucrum, quod amittit ob mutuum ex negotiatione facienda, potest, et vult sibi aliter comparare, quod non potuisset, negotiationi incumbendo, nec etiam potest aliquid exigere, nisi forte pro majori molestia, cui subjicere se deberet. 2.°, ut lucrum ex mutuata pecunia cessans sit vel certum ob occasiones promptas negotiandi, vel saltem probabile ob occasiones negotiandi, quae verisimiliter expectentur: in quo postremo casu nihil refert, ut scribit Lig., quod damnum eventurum postmodum non accidat, quia pactum pro auctario non fit ob damnum futurum,

quod forte eveniet, sed pro periculo ejus probabili, quod actu supponitur, et actu est pretio aestimabile: prout si quis vendit jactum retis, non vendit quidem pisces, qui forte non capientur, sed vendit spem eorum probabilem, quae jam de facto existit (n. 770,). 3.° ut non exigatur lucrum, quod speratur, sed quantum aestimatur spes illius lucri, ac deductis expensis. An vero etiam deducenda sit aestimatio laboris ad lucrum illud conquirendum, affirmant aliqui, sed Lig. probabilius negat, utpote quem mutuans libenter subiisset, nisi talis esset, quod probabiliter mutuans aliquid impenderet, ut se ab eo liberaret. (n. 769.). 4.° ut exigatur auctarium pro eo tempore, quo lucrum cessat, nulla habita ratione illius, quo pecunia permansisset otiosa. 5.° ut negotiatio, cui pecunia subtrahitur ob mutuum, sit justa, secus namque lucrum fuisset non lucrum, quia injustum, ac restituendum. 6.° demum; ut mutuans admoneat mutuarium de titulo, ob quem mutuatarius in auctarium consentiat, juxta quod praescribit Ben. XIV. in laud. Bulla his verbis: *Qui ab omni usurae labe se immunes, et integros praestare volunt . . . admonendi sunt, ut contractum instituendum antea declarent, et conditiones inserendas explicent, et quem fructum ex eadem pecunia postulent.* Hic tamen quaeritur, an si mutuans bona fide neglexerit mutuatarium de titulo admonere, acceptum ex mutuo auctarium debeat restituere? Negat 1.ª sententia: 1.° quia ex una parte nullam realem injuriam mutuatario fecit; et ex altera hic tenebatur supponere justum titulum in mutuante, cum nemo praesumendus sit malus, nisi pro-

betur. 2.° quia cum mutuans bona fide id egerit, atque in nihilo factus sit ditior, illud enim lucrum aeque, et amplius negotiatione acquisivisset, ad nihil proinde obligari potest ex generali principio, quod possessor bonae fidei non tenetur, nisi ad id, *in quo factus est ditior.* 3.° Quia in contractibus quis contrahere non intendit modo, quo melius possit contractus cohonestari? Verbis autem Ben. XIV. superius relatis respondetur, non negari, quod ita agendum sit, prout Sapientissimus Pontifex praescribit: sed tantum dici, quod cum mutuans in bona fide, et cum realitate tituli auctarium acceperit, ac de eo ex ignorantia neglexerit mutuatarium admonere, tuta nihilominus conscientia acceptum auctarium retinere potest. Affirmat tamen Lig. n. 769. 1.° quia mutuatarius putans contractum usurarium, non consentit in contractum justum, in quem forte non consentiret, si justum titulum novisset; putans enim titulum esse injustum, forte contrahit sub spe non solvendi usuras, vel solutas eas sibi compensandi, vel saltem quod illi aliquando restituentur, 2.° quia ad contrahendum non sufficit voluntas interpretativa, idest quoad casum in quaestione, quod mutuatarius consensisset quoque in auctarium, si justum titulum novisset, sed requiritur voluntas actualis, aut virtualis, aut saltem aliquando habita, et non retractata. Ita ergo Lig.; subjungens caeterum, quod si mutuans et mutuatarius contrahere intenderint quo melius poterant contrahere, licitum mutuanti erit acceptum auctarium retinere.

322. Major quaestio fit, an mutuans habens quidem voluntatem negotiandi pecuniam, quam mutuat,

non tamen absolutam, sed conditionatam, posita scilicet conditione, quod illam nemo quaesivisset ad mutuum, possit nihilominus aliquid ultra sortem ob lucrum cessans exigere? Licet multi negent, probabiliter tamen affirmat Lig., tum quia reapse ob mutuum privatur lucro, quod pecuniam suam negotiando fecisset: tum quia, *quamquam habeat voluntatem inefficacem negotiandi, efficaciter tamen vult juste lucrari; et quia juste posset lucrari ex negotiatione, ideo juste lucratur ex mutuo.* Subdit tamen, non facile hoc admittendum ob periculum palliandi usuras, ut quis enim ab usurae labe sit immunis, malle debet lucrari negotiando, quam mutuando; et mutuare debet tantum in gratiam mutuatarii (n. 772.). Idemque prae oculis habendum, dum dicitur, quod licite potest mutuans auctarium exigere ex mutuo, etsi mutuet sponte sua, non precibus alienis compulsus; modo pecuniam, quam mutuatario offert, vere destinatam habuerit negotiationi, eamque offerat in gratiam mutuatarii; quia illam tantum offert sub conditione, ut ipsi a mutuatario lucrum inde cessans compensetur, quam proinde mutuatarius acceptans, vere est causa, ut mutuanti lucrum cesset, ac vere impedit, quin mutuator ex sua pecunia juste lucretur (n. 769.).

323. Quoad titulum vero damni emergentis, hic tunc habetur, cum quis ob mutuum jacturam in bonis suis oppetit, ut si ob mutuum ex. gr. omittat sibi ad tempus providere in rebus ad victum necessariis, cum hae vilius emuntur, empturus postea easdem majori pretio. Licet autem ob talem titulum aucta-

rium quoque exigere ex mutuo; ut enim ait D. Th.: *Hoc non est vendere usum pecuniae, sed damnum vitare* (2. 2. *q.* 78. *a* 2.); ac pacisci vel quantum aestimatur illius damni periculum, vel quod mutuatarius compenset mutuanti damnum, quod passurus erit, sive magnum, sive exiguum, adeo ut nihil compensare illi teneatur, si nihil damni patietur.

324. Quoad periculum sortis, tunc praebet justum titulum aliquid ultra eam accipiendi, cum hujusmodi periculum non est ordinarium, ac mutuo intrinsecum, sed extraordinarium, eique extrinsecum. Hinc periculum, quod oritur ex paupertate mutuatarii, non est titulus cujusvis lucri supra sortem, tum quia ordinarium, ac mutuo intrinsecum; tum quia secus quo mutuatarius esset pauperior, eo magis etiam posset gravari: quo quid inhumanius? Sunt quidem aliqui ex TT., qui praefatum titulum reprobant: probatur tamen ejus justitia. 1.°, quia periculum hujusmodi, utpote extraordinarium, ac mutuo extrinsecum, ex una parte nihil commune habet cum mutuo, vi cujus tantum aliquid ultra sortem exigere est usura; et ex altera nemo non videt, quod est pretio aestimabile. 2.° ex Concilio Later. V. sess. 10., damnante *omne lucrum ex re infrugifera perceptum, secluso titulo laboris, sumptuum, vel periculi* 3.° ex decl. S. C., approbante Innoc. X., quae Mercatoribus Sinensibus permisit aliquid ultra sortem recipere ratione periculi probabiliter imminentis, et qualitatis ejusdem, et servata proportione inter periculum, et auctarium. Nec obstat C. *Naviganti de usuris*, ubi dicitur: *Naviganti, vel eunti*

ad nundinas certam mutuans pecuniae quantitatem, pro eo quod suscepit in se periculum recepturus aliquid ultra sorsem, usurarius est censendus. Nam in hunc textum mendum irrepsisse, omissamque fuisse particulam *non*, manifeste colligitur, ut scribit Lig. cum Barb., Cabass., Tourn. etc. ex contextu, qui ita immediate pergit: *Ille quoque, qui dat decem solidos, ut totidem sibi grani, vini, vel olei mensurae reddantur, quae licet plus valeant, utrum tamen plus, vel minus solutionis tempore fuerint valiturae, verisimiliter dubitatur, non debet ex hoc usurarius reputari*: nisi enim illic irrepsisset mendum, omissaque fuisset particula *non*, dicendum hic non fuisset *Ille quoque*, sed *Ille e conttario.* Notandum tamen, quod si mutuatarius in assecurationem sortis pignus, vel fidejussionem offerat, nihil pro ratione periculi, quodcumque illud sit, repeti potest.

325. Quoad titulum denique poenae conventionalis, ut haec sit justa, debitor esse debet in culpa non solvendi tempore definito; quae proinde ab usura excusari nequit, si mutuator sciens mutuatarium non valiturum in eo solvere, adhuc tali poena oneret; sicut etiam si non sit moderata juxta rationem culpae, et rei. En igitur tituli accipiendi aliquid ex mutuo absque usurae labe. Advertendum tamen, numquam licere illud ab initio, et in ipso actu mutui exigere; ut mutuans ex. gr. centum, et pro aliquo ex praedictis titulis accipiens decem in ipso actu mutui, et ab initio; quia jam non mutuaret centum, sed nonaginta, et privaret mutuatarium ante tempus commoditate pecuniae mutuatae. Sicut etiam

advertendum, quod non soluto interesse, quod conventum fuerit ex aliquo ex praedictis titulis, cautum est jure, ne illud convertatur in capitale, et ex eo aliud interesse solvatur (l. 28. c. *de Usuris.*).

326. Ex dictis autem sequitur. 1.° , pactum exigendi aliquid ultra sortem ob obligationem, qua se mutuans devincat, non repetendi mutuum, nisi post longum tempus, *triennium* ex. gr., etc. probabiliter licere: tum quia ut disserit Lig. l. 3. n. 760., est obligatio quidem mutuo intrinseca expectandi per aliquod tempus ordinarium, non vero per tempus extraordinarium, qualis obligatio non est mutuo intrinseca, sed omnino extrinseca; ob quam proinde auctarium, quod in pactum ducitur, fit ratione tituli mutuo extrinseci, ideoque absque usurae labe: tum quia moraliter impossibile videtur, quod mutuator per multum tempus non patiatur aliquod periculum, vel incommodum. Nec obstat prop. ab Innoc. XI. proscripta, quae ajebat: *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obligat ad non repetendam sortem usque ad certum tempus*; quasi per quodvis tempus se obliget mutuans non repetendi sortem], id liceat: quae idcirco merito fuit proscripta, ob suam nempe illimitatam amplitudinem.

327. Sequitur 2.°, usurarium esse pactum, quod mutuans utatur, ac fruatur re frugifera mutuatarii, dum hic utitur pecunia mutuata; dictum quoque contractum *Antichriseos*, ac vulgo *a godere* : 1.° quia secluso alio titulo, usus, ac fructus illius rei acciperetur ultra sortem praecise vi mutui, in quo consistit usura. 2.° quia cum omnis res ejus Domino fructifi-

cet, hinc sicut Dominus rei illius est mutuatarius, non mutuans, ita et illi, non huic fructificare debet. Diximus tamen: *secluso alio titulo*: excipitur namque 1.° si habeatur a mutuante aliquis ex titulis superius dictis, ac usus, fructusque illius rei responderent lucro, quod mutuans ob talem titulum posset pacisci. 2.° si res illa frugifera detur in pignus dotis ad sustinenda matrimonii onera: quo in casu illius fructus nec essent in dotem computandi, ex c. *Salubriter de usuris*, ubi dicitur: *Generum ad fructus possessionum, quae sibi a socero sunt pro numerata dote pignori obligatae, in sortem computandos, non esse obligandum*. Quod locum habet, etsi fructus pignoris onera matrimonii excedant, quando pignus concessum fuerit absolute, ac tempore, quo dos constituta fuit; secus, si datum fuerit in dotis securitatem, aut dote jam constituta, vel si gener matrimonii onera non sustineat. (Lig. l. 3. n. 776.).

328. Sequitur 3.°; damnandum quoque esse contractum, quem nuper in medium protulit Hyac. Stampò, appellavitque contractum *negotiatoriae pecuniae*, tametsi initum sub conditionibus ab ipso statutis: 1.° *ut contractus fiat in aliquo emporio, in quo undique commercia, et nundinae*: 2.° *ut pecunia eo loci saepe ex mensura mercis evadat merx ipsa*: 3.° *ut pecunia detur negotiatori perito, prudenti, honesto, et nonnisi roganti*: 4.° *ut addatur onus negotiandi acceptam pecuniam*: 5.° *ut negotiatio sit adeo quaestuosa, ut possit utrique contrahenti dare commodum lucrum*: 6.° *ut periculum, si quod sit, sit frugiferum, scilicet ratione quaestuosae negotiationis*: 7.°, *ut qui dat pecuniam, non se immisceat in negotio, sed mercator*

solus, qui non teneatur de in negotio a se gestis rationem reddere: 8.°, *ut si negotium periclitetur, mercator teneatur servare indemnem pecuniae dominum*: sub quibus conditionibus scribit laud. Auctor licere contractum, hoc fretus principio, quod licitus dicendus est contractus ille, *in quo, immoto manente fundamento lucri, pacta, quae adduntur, juste compensantur*. Sed perperam: fundamentum namque sive initium hujus contractus est mutuum. Mutuum autem nequit esse fundamentum lucri absque usurae labe: Ubinam igitur lucri fundamentum, quod laud. Auctor supponit? Omnes autem conditiones, sub quibus illum tuetur, aliud in re non ponunt, nisi quod accipiens pecuniam quaestuosissimae negotiationi illam impendit. Omnes igitur exsufflantur et dictis supra n. 317., et relatis ibidem Ben. verbis: *Neque vero ad usurae labem purgandam ullum arcessiri subsidium potest ex eo, quod mutuatarius datam sibi mutuo summam relicturus non sit otiosam, sed ad fortunas suas amplificandas utilissime sit impensurus?* Quibus perpensis, mirum profecto, quod laud. Auctor, ac caeteroqui Probabiliorista, non perspexerit, sub illis quoque conditionibus contractum a se appellatum *negotiatoriae pecuniae* damnandum esse, ut usurarium, idque dici posse, tamquam definitum a Benedicto XIV.

Caput XIII.

De emptione, et venditione.

329. Emptio est *contractus, quo pretium pro merce solvitur*: venditio, *contractus, quo merces pro pre-*

tio traditur. Etsi autem in foro externo non detur actio, nisi cum injustitia, aut laesio est ultra medietatem justi pretii, idque, ut occurratur innumeris litibus, quae passim emergerent, si ex quavis inaequalitate daretur actio (l. 2. cod. *de rescind. vend.*); tam emptionis tamen, quam venditionis justitia in hoc consistit, ut pretium exaequet valorem rei. Rationem vero reddit Genuensis: *Coloro i quali trafficano, cioè cambiano il soverchio col necessario, dove intendano, non già regalarsi, ma permutare i loro dritti, e le loro robe secondo la bilancia della giustizia, non vogliono ricevere meno di quel che danno, nè dare più di quel che ricevono. Dunque la prima legge naturale, regolatrice di ogni contratto permutatorio, è l' egualità perfetta tra quel che si dà, e si riceve: quale egualità fe chiamare la giustizia equità, cioè eguaglianza (Diceosina).*

330. Tam emptionis autem, quam venditionis contractus solo consensu contrahentium perficitur, nisi consuetudo ferat, quod perficiatur traditione arrhae, respectu quarum standum est consuetudini; vel nisi ante emptionem conventum fuerit de scriptura, ex §. un. Inst. *de oblig. ex cons.*, ubi dicitur: *Consensu fiunt obligationes in emptionibus, locationibus... Ideo autem istis modis obligatio dicitur consensu contrahi, quia neque scriptura, neque praesentia omnino opus est; at nec dari quicquam necesse est, ut substantiam capiat obligatio.* Necesse tamen est, ut et res, et rei pretium determinata fuerint; hoc saltem remittendo alicui tertio, vel judicio prudentum, vel legi, quae illud taxaverit, aut taxabit (l. ult. ff. *de con-*

trah. empt.); non tamen ipsi emptori (l. *quod saepe* eod. tit.): res vero in specie, seu individuo. Quod si res consistat *in pondere*, *numero*, *et mensura*, potest vendi *ad corpus*, vel *ad mensuram*. Venditur *ad corpus*, cum plura individua per modum unius, absque expressione ponderis, numeri, et mensurae venduntur; ut cum venditur acervus tritici, grex animalium, dolium vini, quidquid contineat; cumque hoc modo venditur, satis etiam determinatur. Venditur vero *ad mensuram*, cum plura individua non venduntur per modum unius, sed per modum plurium: ut qui vendit totum tritici acervum, et pro singulis modiis vult tres aureos; totum gregem, et pro quavis ove vult duos aureos; totum vini dolium, et pro quovis doliolo vult unum aureum: cumque venditur hoc modo, res non habetur, ut determinata ex l. 35. §. *in his* ff. *de contrahenda empt.*; ubi etiam ratio additur, quod scilicet quando res venditur ad mensuram, censetur semper hac tacita conditione vendita: *Si res sit ponderata*, *numerata*, *aut mensurata coram emptore*: quod ideo donec fiat, contractus nondum est perfectus.

331. Etsi tamen per consensum contrahentium, et determinationem pretii, et rei emptionis, ac venditionis contractus perficiatur, tunc nihilominus dominium rei venditae a venditore in emptorem transfertur, cum res tradita fuerit ex l. 20. Cod. *de pactis*, ubi dicitur: *Traditionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur.* Excipiuntur solum venditiones Civitatibus, Ecclesiis, vel piis causis, in quibus per solam emptionem, aut donationem ante traditionem

acquiritur dominium. Immo nec illud transfertur, re tradita, donec pretium solvatur, vel saltem offeratur, aut praestetur pignus aliquod, vel fidejussio, vel fides pretii ex §. *venditae*, inst. *de rerum divisione*. Hinc cum dominium rei venditae nonnisi his positis transferatur a venditore in emptorem, tam periculum proinde, quam commodum rei venditae esse deberet venditoris ex lege generali, quod *omnis res Domino suo et perit*, *et fructificat*. Lege tamen peculiari sancitum est, quod venditione perfecta per consensum contrahentium, et determinationem pretii, ac rei, periculum rei venditae spectet ad emptorem, praeterquam 1.° si interfuerit pactum, quod non teneatur emptor de rei periculo usque ad traditionem (l. 10. ff. *de peric.*, *et comm. rei venditae*): quia ut dicitur Reg. 85. Juris in 6.: *Contractus ex conventione legem accipere dignoscitur*. 2.° Si venditor fuerit in culpa etiam levi, quod res perierit (l. 3. ff. eod. tit.): quia venditor custodire debet rem venditam, donec tradatur, atque in ea custodienda *exactiorem praestare debet diligentiam*, *quam in rebus suis faceret* (ibid.). 3.° Si venditor fuerit in mora ad tradendam rem (l. 17. ff. eod. tit.): quia, ut ibidem dicitur, *mora sua cuilibet est noxiva*; utque additur c. ult. *de depos.*: *Pacto*, *culpa*, *vel mora praecedentibus casus etiam fortuitus imputatur*. Quod si tam emptor, quam venditor fuerit in mora, tunc periculum rei pertinet ad emptorem pro ratione morae, juxta dispositionem legis citatae: *Si interpellavero venditorem*, *et non dederit id*, *quod emeram*; *deinde posteriore offerente illo*, *ego non acceperim*; *sane hoc*

casu mihi nocere debet. 4.° Si venditio fuerit conditionata, nec conditio adhuc impleta fuerit, ex lege: *Conditionales venditiones tunc perficiuntur, cum impleta fuerit conditio* (l. 7. ff. *de contrah. empt.*): 5.° si venditio fuerit rei mensurabilis, vel numerabilis, vel ponderabilis, nec vendita fuerit *ad corpus*, sed *ad mensuram*; praeterquam si per contractum constitutus fuerit terminus, intra quem res empta mensuranda, numeranda, vel ponderanda esset, et per emptorem steterit, quominus mensuratio, numeratio, vel ponderatio fieret, tunc enim emptor periculum subire debet; sicut etiam si nullo constituto termino, venditor praesentibus testibus emptorem monuerit, ut intra certum tempus ad mensurandam, numerandam, vel ponderandam rem emptam se conferret ex l. 4. ff. *de peric., et comm. rei venditae.* Quod si venditio rei mensurabilis, numerabilis, vel ponderabilis facta fuerit *ad corpus*, ejus periculum absolute spectat ad emptorem ex l. 2. cod. *de peric. etc.*, ubi sic dicitur: *Cum universum, quod in horreis erat positum, veniisse sine mensura, et claves emptoribus traditas alleges, post perfectam venditionem quod damnum accidit ad emptorem pertinet.* Et ratio est, quia venditio *ad corpus* aequiparatur venditioni rei determinatae in individuo. Ipsius caeterum rei indeterminatae incrementum, et decrementum, ut advertit Lig., spectat ad emptorem (l. 3. n. 828.).

332. Quod si venditione perfecta, periculum rei venditae, etsi re non tradita, vel tradita et absque pretio, et absque ejus et fidejussione, et pignore, et fide, spectat ad emptorem, eidem quoque adju-

dicandi sunt ejus fructus ex lege, quod *commodum ejus esse debet, cujus periculum est* (§. 3. *Inst. de peric., et comm. rei vend.*). Hinc ad emptorem spectant ejus fructus et pendentes, quoad aestimationem tamen, quam habent tempore emptionis; quo tempore si adhuc immaturi sint, re non tradita, eorum incrementum, cum postea sunt maturi, venditori debetur (Lig. l. 3. n. 798.): et fructus etiam futuri, tum quia, cui debetur res, debentur etiam fructus, tamquam accessorii; tum quia, aequitas postulat, ut ad eumdem emptorem, ut diximus, spectet commodum fructuum, ad quem spectat ipsius rei periculum. Lex autem decernens, quod omnis res Domino suo fructificat, locum habet, cum hic absolutum habet rei dominium, non vero cum se obligaverit, dominium rei ad libitum alterius abdicare, in quo casu locum habet potius regula juris 15. in 6., quae ait: *Is, qui actionem habet, rem ipsam habere censetur.*

333. Excipitur 1.° si venditor noluerit ratam habere venditionem, nisi post solutionem pretii, in quo casu tam periculum rei, quam commodum fructuum ad ipsum spectat: 2.°, nisi aliter conventum sit, quia venditor juste potest dominium rei directum transferre in emptorem, sibique reservare ejus dominium utile usque ad solutionem pretii; cujus proinde fructus deinde exigit, non quidem *ratione solutionis dilatae*, ut exprobrat P. Concina, sed, ut advertit Lig. n. 798., *ratione ipsius venditionis hoc pacto initae.* Verum quidem est in hoc casu, quod si praedium pereat, vel deterioretur, non posset venditor exigere id quod ratione praefatorum fructuum emptor promiserit ei cor-

respondere: at verum etiam est, quod non tantum fructus, sed et ipsum rei venditae, etiam traditae, dominium per specialem conventionem sibi reservare potest loco hypothecae, donec emptor solvat, dummodo simul in hoc casu ipsius rei periculum sibi assumat ex lege, quia *cujus est commodum, ejus debet esse etiam periculum* (§. 3. inst. cit.).

334. Excipiendae tamen non sunt venditiones, ac emptiones conditionatae, ut si quis dixerit: *Vendo tibi hunc agrum, si post annum rediero e Neapoli. Emo hoc vini dolium, si post mensem illud bonum repe- rero: vel hunc equum, si cum mihi post mensem vacabit, illum currui aptare potero*; quae venditiones, emptionesque, ut diximus, non perficiuntur, nisi conditione impleta: hac namque impleta, modo non fuerit a parte emptoris illam adimplere, retrotrahitur contractus ad diem venditionis, ac similiter omnes fructus rei venditae ad emptorem spectant (Lig. n. 797.).

335. Neque etiam ab his, quae diximus, excipiendum est, si res ematur pecunia aliena; etsi enim empta alterius pecunia, fit tamen emptoris, si emat nomine suo, ex l. *si eo* C. *de rei vindicatione*, ubi dicitur: *Si ex ea pecunia, quam deposueras, is, apud quem collocata fuerat, sibi possessiones comparavit, ipsique traditae sunt . . . ab eo invito in te transferri injuriosum est.* Solum excipitur, si pecunia fuerit Ecclesiae, Minoris, et Militis, quia tunc illis res acquiritur. Venditio tamen, in qua vendatur res aliena, trasfert tantum dominium pretii, sed non rei; quae idcirco non fructificat emptori, sed domino, eamque vendens mala fide acquirit dominium pecu-

niae, sed tenetur ad omnia damna emptori illata, et superventura. Quod si eam bona fide vendiderit, nec ad damna, nec ad evictionem tenetur, sed tantum ad restituendum pretium emptori, praeterquam si expresse convenerit de non restituendo pretio, vel si nihil factus sit locupletior. Definitur enim evictio respectu illius, qui rem sibi evincit, *rei, quam quis emit, aut dono accepit, ab eodem abductio per Judicis sententiam.* Respectu illius vero, qui rem tradidit, *obligatio vindicandi contrahentem ab omni sive jure, sive actione, quam alter exhibere possit super re, quae fuit contractus objectum.* Hinc qui vendiderit bona fide rem alienam, non tenetur, ut diximus, ad evictionem; quo enim modo potest res aliena vindicari a jure, quod in eam habet Dominus? Ad eam vero secundo sensu acceptam utique tenetur venditor cujusvis alterius rei: circa quod tamen leges statuunt, quod ut possit emptor de evictione agere, tenetur litem motam, antequam tempus probationum elabatur, venditori denunciare ex l. *Emptor C. de evict.*: qua facta, tenetur venditor praestare emptori documenta pro defensione, atque ad litis expensas ex l. *Si plus* §. Nota ff. *de evict*, sed non tenetur defendere, nisi id promiserit. Quod si malitia, aut culpa Judicis, aut vi alterius, aut negligentia emptoris res evincatur, venditor ad nihil tenetur, periculum enim fortuitum rei venditae ad emptorem pertinet. A praedicta quidem denunciatione excusantur Minores, et Ecclesiae: non solum tamen in venditione, sed et in quolibet contractu oneroso locum habet evictio secundo sensu accepta. (Lig. n. 800.).

336. Perfecto demum venditionis contractu, sicut jus ad rem venditam translatum fuit a venditore in emptorem, ita venditor acquisivit jus ad pretium rei venditae respondens. Hinc et venditor, si sit in mora ad tradendam rem, et emptor, si sit in mora ad solvendum pretium, uterque violat jus alterius, ideoque jure naturali tenerentur ad omne damnum inde emergens. Jus tamen Civile, ut occurreret litibus, quae ortae fuissent super damno extrinseco, decrevit, ut uterque teneatur alteri tantum de damno intrinseco, atque haec juris dispositio in utroque foro obligat, tam scilicet externo, quam conscientiae: *Cum per venditorem steterit, quominus rem tradat, omnis utilitas emptoris in aestimationem venit, quae modo circa ipsam rem consistit* (lib. *si sterilis* 22. *ff. de act. empt., et vend.*). Utque exemplo rem declaremus, Cajus ex. gr. cum emisset vini dolium a Titio, hic fuit in mora ad illud Cajo tradendum tempore statuto. Illud autem si accepisset Cajus statuto tempore, lucrum fecisset, illud statim revendendo, decem aureorum, quos perdidit ob moram Titii. En damnum intrinsecum, quod Titius compensare debet Cajo. Quod si Cajus pecuniam inde acquisitam negotiationi valde lucrosae impendisset, quam illi deinde impendere non potuit, damnum est istud, quod, utpote extrinsecum, illi Titius compensare non tenetur. Immo neque etiam toti damno intrinseco venditor morosus tenetur, lege enim cautum est, ne dupli quantitatem excedat (*L. cum pro eo unic. cod. de sent. quae pro eo etc.*). Si Cajus ex. gr. emisset rem decem aureis, eamque accipiens a venditore sta-

tuto tempore lucrum fecisset quindecim aureorum, quos perdidit, quia venditor fuit in mora ad tradendam rem, tenetur venditor illi compensare damnum usque ad decem, non vero usque ad quindecim. Sic etiam cum emptor non solvit pretium rei tempore statuto, non tenetur compensare venditori lucrum, quod soluto pretio fecisset, illud negotiationi impendendo, quia istud est damnum extrinsecum, sed tantum tenetur illi compensare rei usum, nempe ejus fructus, sive ex re perceptos, sive quos percipere potuisset, et ob suam negligentiam perdidit; idque etsi venditor fructus ex ea non percepisset, eam penes se habendo; deductis tamen expensis, et pretio laboris, et industriae: praeterquam si nec emptor fructus ex ea perceperit absque ulla culpa, nec venditor fructus ex ea percepisset. Quod si emptor solverit partem pretii, partem quoque fructuum habita proportione compensare debet: *Venditori, si emptor in pretio solvendo moram fecerit, usuras dumtaxat praestabit* (idest usum rei); *non omne omnino, quod venditor, mora non facta, consequi potuit* (L. *Vendit.* fin. ff. *de per., et comm. rei vend.*). *Etenim fructus* (subdit Molina), *quos emptor percepit, fructus sunt ipsiusmet rei. Res autem ex juris dispositione venditori fructificat, interim dum emptor in mora est solvendi pretium. Quare deductis expensis, et pretio laboris, et industriae, reliquum ad venditorem spectat* (*De just., et jure disp.* 368.).

337. Ad justum nunc rerum pretium progrediamur; ut enim diximus, justitia contractus, de quo agimus, in hoc consistit, quod pretium exaequet valorem rei.

Exaequat autem, si illud sit vel legale, vel vulgare. Primum dicitur, *quod a Principe, vel Magistratu constitutum fuerit*: quodque, cum latitudinem non admittat, quia constituitur ab uno, vel pluribus in idem consentientibus, rigorose observari debet. Alterum vero, *quod constitutum fuerit a communi aestimatione*: quodque, cum latitudinem admittat, quia pendet a multis non idem omnino judicantibus, non enim homines in idem consentire assolent, hinc distinguitur in *infimum*, *mediocre*, *et summum*; quorum unumquodque est justum, nisi fraude inducatur emptor ad emendum summo pretio, vel venditor ad vendendum pretio infimo. Advertendum tamen cum Lig., quod communiter non praestatur fides mendaciis vendentium, cum satis noscatur esse apud ipsos communia stratagemnata; ideoque regulariter non tenentur ob id ad restitutionem. Diximus *regulariter*, nam si venditor certe adverteret, emptorem iis credere, et ideo majoris emere, non esset tunc ab injustitia, ideoque a restitutione excusandus (n. 805.).

338. Quaenam autem sit latitudo pretii vulgaris, id unum quoad hoc dici potest cum Lig., quod pretium rerum vilium minorem habet latitudinem, quam pretiosarum: vinum enim, aut simile, quod valet 5., potest vendi 6., vel 4. Aut si valet 10., potest vendi 12., vel 8. Aut si valet 100., potest vendi 105., vel 95. Domus autem, aut villa, quae forte vendita est pro 20. mille, post annum emi poterit pro 12. mille (n. 804.).

339. His praemissis: quod unusquisque stare debeat pretio legali, luculenter evincitur ex illis Ap.

verbis: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas, nisi a Deo. Igitur qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit* (*Ad Rom.* 13.). Quod si desit pretium legale, ab unoquoque standum esse pretio vulgari, communis est TT., et etiam Jurisperitorum doctrina; unde scribit Lig.: *Constitutio pretii non pendet a privato arbitrio venditorum, sed a communi aestimatione civium* (n. 815.). Additque n. 808., quod communis aestimatio rei in aliquo loco reddit justum qualecumque pretium. Et n. 824., justum esse pretium secundum communem aestimationem, etsi venditor ex notitia particulari sciret, brevi esse minuendum, vel emptor brevi esse augendum, quia pretium commune simpliciter adhuc est justum: ac solum peccare contra charitatem, qui utens tali notitia, magnam copiam mercium pauperi venderet; secus nec etiam contra charitatem, quia jure suo uteretur rebus suis juste consulendi. Ex Jurisperitis autem audiatur Volfius: *Pretium rerum dicitur, quanti res valet communi omnium, vel peritorum aestimatione. Ita pretium frumenti est, quanti certa frumenti quantitas valet communi omnium aestimatione. Ast verum pretium aedium est, quanti aedes valent aestimatione architectorum, fabrorum lignariorum, et murariorum* (*Jus Nat. t.* 4. c. 4. §. 905.). Rationem autem reddit Genuensis: *Essendo il prezzo il medesimo, che la stima, che si ha della cosa, e la stima nascendo dal bisogno, che se ne ha, rispettivamente alla quantità maggiore, o minore del genere; siegue, che il prezzo sia delle cose, sia delle fatiche, è sempre in ragion*

diretta de' bisogni, e reciproca delle quantità fisiche: onde niun altro, fuorchè il pubblico, a cui può esser ben noto l' uno e l' altro termine, può anche ben fissarlo (*Diceosina*).

340. Vel igitur pretio legali, si adsit, vel vulgari in legalis defectu tam a venditoribus, quam ab emptoribus standum est. Quod si l. 1. *ad Senatus Consul. Trebell.* dicitur: *Res tanti valet, quantum vendi potest*; id intelligendum est, quod tanti valet, quantum vendi potest intra latitudinem justi pretii; nam, ut etiam dicitur l. *pret.* 63. *ff. ad leg. Falcid.*: *Pretia rerum, non ex affectu, nec utilitate singulorum, sed communiter finguntur.* Nec excusat, quod emptor consentiat in pretium justo majus. In illud enim consentit, vel quia ignorat justum rei valorem, vel quia venditor illam tradere recusat minori pretio; ideoque, ut scribit Lugo, *cogitur involuntarie in pretium injustum consentire.* Nec etiam excusat, quod venditor non teneatur rem suam vendere; quam proinde si vendit, potest vendere, quanti vult. *Quamvis enim* (respondet D. Antoninus) *nemo cogatur ad vendendum, in actu tamen, vel contractu vendendi, si vendere vult, formam juris, et regulam justitiae servare debet.* Nec demum excusat, quod venditor rem emerit magno pretio, et multum expenderit ad illam vehendam. Etenim *pretia rerum* (respondet Molina) *non ex lucro mercatorum, ac damno metienda sunt, sed ex communi aestimatione in loco ubi venduntur, attentis circumstantiis omnibus praesentibus; idque, sive Mercatoribus reflante fortuna, aut non satis dextere negotiantibus, parum lucrentur; sive fortuna*

eisdem favente, aut etiam strenue ipsis negotiantibus, multum lucrentur (*De just. et jure Disp.* 348. *n.* 7.). Quare etiam Lig. . *Non potest venditor rem vendère pluris, quam ibi aestimatur, licet emerit carius, et multum expenderit ad illam vehendum* (n. 804.).

341. Quid tamen dicendum, si res neque lege, neque ex communi aestimatione pretium habeat? Potest ne scilicet vendi quanti plurimi? Sunt, qui affirmant; idque Salm., ut scribit Lig., recte vocant probabile: quia cum res non habet pretium nec legale, nec vulgare, illud putatur justum, quod convenitur. Probabilius tamen negandum, ut idem Lig. subdit: quia etsi pretium talium rerum magnam habeat latitudinem, aequum tamen est, quod habeat quamdam taxam justa prudentum arbitrium, spectatis novitate, antiquitate, raritate, utilitate, aliisque circumstantiis ad valorem rei facientibus (n. 807.)

342. Caeterum adsunt causae, ob quas licet vilius emere, et carius vendere pretio vel legali, vel communi. Et 1.° ipsum pretium legale non obligat ex Lig., si res notabiliter mutentur, vel annus sit valde sterilis, vel demum a majori parte populi non servetur, sciente, et tacente Principe: utque addunt Salm. Torn., et Conc., si res in genere suo sit optima, potest etiam carius vendi, vel misceri cum alia, ita ut fiat, sicut aliae res communes, eo quod Princeps pretium constituens respicit tantum res ordinarias, et vulgares (n. 803.) Quoad pretium vulgare autem, licet eo vilius emere. 1.°, si adsit paucitas emptorum, et copia mercium. 2.°, si res empto-

ri sit parum utilis, eamque emat in gratiam tantum venditoris, alias non empturus. Hinc tritum illud, quod *merces ultroneae*, scilicet ultro oblatae, et quae in gratiam tantum venditoris emuntur, vilescunt; ac, ut placet quibusdam, decrescunt pro dimidio; ut vero probabilius censet Lig., tantum pro tertia parte (n. 802.). Diximus tamen: *Alias non empturus*; non enim licet vilius emere ab eo, qui necessitate compulsus vendit, tum quia esset abuti necessitate pauperis ad vilius emendum, quod nemo non videt, esse et charitati, et justitiae adversum; tum quia venditoris indigentia non est titulus, ut pretium decrescat in communi aestimatione. 3.° si multa simul emantur ab eodem, quia ita liberatur a multis curis, fitque expeditius ad alia sibi comparanda. Sunt hae igitur causae, ob quas licet vilius emere pretio vulgari.

343. Licetque eo carius vendere 1.°, si adsit multitudo emptorum, et paucitas mercium: 2.° si venditor sit specialiter affectus erga rem, quam ideo vendat solum in gratiam emptoris, alias non venditurus; ille enim affectus specialis venditoris erga rem est pretio aestimabilis. Illam vero vendere ultra pretium justum hoc solo titulo, quod sit valde utilis emptori, non licet, quia utilitas emptoris tota est ipsius, non venditoris. Hinc D. Th.: *Si quis multum juvetur ex re alterius, ille vero, qui vendit, non damnificetur carendo illa, non debet eam supervendere* (2. 2. *qu.* 77. *art.* 1.): 3.° si res vendatur minutim, pro ratione majorum expensarum, laborum, etc., quae impendi debent in ejus conservatione, et venditione: 4.° ratione damni emergentis, vel lucri cessantis; ut si

vendens frumentum in gratiam emptoris, illud postea empturus esset majori pretio ad usum familiae, vel illud multo magis venditurus fuisset tempore opportuniori: 5.° demum, si res vendatur *sub hasta*, modo omnis fraus absit; nec rei pretium sit a lege taxatum. Fraus autem ex parte venditoris esset, vel celando occultum rei vitium, vel immittendo fictos licitatores. Ex parte vero emptoris, si dolo, minis, promissione praemii, aut precibus importunis impediat, ne alii plus offerant: quibus procul fraudibus, justum pretium venditionum *sub hasta* illud est, quod exhibetur ab ultimo offerente, ex quo sequitur, posse quanti carius vendi, et quanti vilius emi, ex l. 2. Cod. *de resc. vendit.*, quia potestas publica approbat pro justo pretium illud, quod publice emptorum concursu probatur. Nec satis probabiliter, ait Lig., videtur huic contradicere Petrocorensis, qui conatur probare, quod si res adjudicetur ultimo offerenti pro pretio notabiliter minori, deberet ille legitimum pretium adaequare. Nam si ita esset, neque etiam res posset adjudicari ultimo offerenti, si primus offerens jam supremum pretium obtulisset; quod nemo dicit. Si Dominus igitur potest retinere excessum, etiam emptor potest rem pretio minori, quam infimo, emptam retinere (n. 808.). Quid vero si quis roget tantum, non tamen precibus importunis, ne alii plus offerant, ut ipse pretio infimo, vel saltem mediocri rem obtineat? Licet id Lessius, aliique damnent de injustitia, docet tamen Lig., praeeuntibus Lug., Tourn., Salm., etc., quod licite emptor utitur sua diligentia, ut sibi consulat. Subdit caeterum, aliter

dicendum, si pacto conveniat cum aliis licitatoribus, ne plus offerant, saltem cum per sententiam Judicis res ad subhastationem exponitur: nam cum Dominus teneatur in hoc casu omnino rem tradere plus offerenti, injuriam ei irrogat, qui illum impediat a consecutione majoris pretii; sicut enim venditor constitutus est in periculo tradendi rem parvo pretio, si nemo compareat plus offerens, ita jus habet, ne privetur spe obtinendi majus pretium, si plures concurrant oblatores, qui aemulatione ducti pretium augeant; idque videtur requirere jus, et natura licitationis, ut aequalitas servetur (ibid.).

344. An autem res possit carius vendi ob dilatam, ac vilius emi ob anticipatam solutionem, certum est quoad 1.^{m}, utique rem posse carius vendi, si pretium tradendum sit tempore, quo res est pluris valitura, modo a venditore usque ad illud tempus res fuisset servanda, deductis que expensis ad illam servandam necessariis: et contra vilius emi, si res tradenda sit tempore, quo minoris valebit. Certum 2.° est, quod praecise vi dilatae solutionis, illicitum est carius vendere; dilatio enim solutionis non est, nisi virtuale mutuum, vi cujus exigere aliquid ultra sortem est usurarium. Nec excusat, quod interim pecunia maneat impedita, hoc enim compensatur a majori mercium copia, quae ad creditum distrahitur, quas si mercator vendere vellet numerata pecunia, multo minus de iis distraheret. Ubi tamen consuetudo vigeat, probabiliter ex Lig., potest carius vendi ad creditum, quam si venderetur pecunia numerata, modo excessus sit moderatus: tum quia communis aestimatio, quae justum pretium con-

stituit, majoris aestimat res, quae ad creditum venduntur: tum quia in venditionibus ad creditum adest major numerus emptorum, qui valorem mercium adauget. Hinc licitum quoque est probabiliter rem vilius emere ob anticipatam solutionem, tum quia pauci sunt emptores, qui anticipate solvunt, et multi venditores, qui merces suas ita vendere vellent, ex quo oritur merces decrescere: tum quia communis aestimatio, quae justum pretium constituit, minoris aestimat res, quae anticipata solutione emuntur (n. 811.). Quo tamen loci advertatur, tunc pretium, quod ante tempus conveniatur, esse justum, cum verisimiliter dubitatur, an res tempore, quo tradenda erit, sit plus, vel minus valitura, juxta can. relatum n. 324. *Ille quoque etc. Tali compre di fortuna* (ita Genuensis) *saranno giuste, ove le probabilità da ambe le parti siano eguali, mettendosi il compratore, ed il venditore nel mezzo tra'l prezzo supremo, e'l prezzo infimo, che il genere potrà sortire nella sua stagione. Sono questi contratti, come le scommesse, le quali son sempre inique dalla parte di colui, le cui probabilità son maggiori* (*Diceosina*).

345. Ob rationem etiam supra allatam non modo licet, ut certum est, minoris quoque emere creditum incertum, vel difficilis exactionis, etsi ementi sit facile illud integre exigere, quia pretium sumitur ex communi aestimatione, non ex particulari circumstantia ementis; sed, ut probabile censet Lig., etiam creditum liquidum: cum enim talia chirographa ad venditionem exponuntur, minoris quoque communiter aestimantur, quam praesentes pecuniae, ob dif-

ficilem exactionem, a qua communiter praefata chirographa solent non esse immunia. Cum igitur pretio decrescant juxta communem aestimationem, minoris quoque emi possunt. Est quidem sententia opposita et communior, et tutior, et prae aliis D. Th. (*opusc.* 68.): cum enim nullum adest periculum, nec ullis sumptibus opus est ad recuperandum creditum, tunc istud tanti valet, quanti ipsa pecunia debita. Hujusmodi autem est creditum liquidum: illud igitur tanti minus emere anticipata solutione nequit ab usura excusari. Respondetur tamen, quod cum non ematur pecunia, sed actio ad illam, hinc contractus non est mutui, sed emptionis: in qua cum hominum aestimatio constituat justum pretium, eadem quoque praebet titulum chirographa, de quibus agimus, minoris emendi (l. 3. n. 829.).

346. Quid demum sentiendum 1.° de venditionibus, vel emptionibus cum pacto retrovendendi? 2.° de venditionibus occultando vitium rei venditae? 3.° de venditoribus, vel emptoribus nomine alieno, ac sibi de pretio vel persoluto, vel sibi, ut inquiunt, a mercatoribus remisso retinentibus? 4.° de monopoliis: quaestiones sunt hac super re admodum scitu necessariae.

347. Respondetur autem ad 1.m, quod bene licet vendere cum pacto retrovendendi, et vicissim, sub conditionibus sequentibus: 1.° ut vera, et non ficta emptio fiat. Hinc 2.° ut periculum rei venditae sit penes emptorem, nisi augeatur pretium juxta aestimationem periculi. 3.° ut pretium infra infimum imminuatur pro ratione oneris, quod emptori imponi-

tur. 4.° ut non apponatur pactum, quod pluris, vel minoris retrovendatur; etsi liceat pactum, ut res retrovendatur eodem pretio. 5.° ut res retrovendatur, sicuti traditur, vacua, vel cum fructibus. Hic tamen notandum, quod contractus *Mohatra*, idest *venditio alicujus rei ad creditum pretio supremo cum pacto eam reemendi pecunia numerata pretio infimo*, usurarius est, fuitque ab Innoc. XI. proscripta prop., quae illum asserebat licitum: excessus enim pretii supremi super pretio infimo reciperetur vi *dilatae solutionis*; quae cum sit mutuum quoddam virtuale, hinc reciperetur *vi mutui*, in quo consistit usura. Hic etiam notandum, quod concessum est et a consuetudine, et a legibus Principum primo venditoris consanguineo, ut bona conserventur in familia, jus intra annum, et diem a peracta venditione rescindendi, et ad se revocandi venditionem rei immobilis, eodem oblato pretio, quo illam ab extraneo, vel a remotiore consanguineo empta fuerat; ac jus hujusmodi vocatur *retractus gentilitius.* Quod si proximior consanguineus requisitus fuerit, et justo pretio noluerit emere, post duorum mensium spatium potest fundus alteri vendi. Nequit tamen intra id tempus rem reemere, ut aliis tradat, cum hujusmodi jus concessum non fuerit, nisi ut bona in familia conserventur.

348. Respondetur ad 2.m distinguendo: vel enim vitium rei est essentiale; idest *reddens rem vel absolute inutilem usui, ob quem emitur, vel ejus usum ita minuens, ut si emptor illud sciret, vel rem non emeret, vel emeret pretio multo minori*. Vel solum est accidentale, idest *solum impediens, ut usus rei*

non sit, qualis ab emptore sperabatur. Hoc posito: Si vitium est primi generis, idest essentiale, vel illud est notorium, nec ulla fraus adhibetur, ut non innotescat; et in hoc casu non tenetur venditor illud emptori aperire, nisi vel emptor non sit in statu illud cognoscendi, vel sit ita rudis, et hebes, ut illud non cognoscat, vel demum ob rei vitium evidenti alicui periculo exponatur. Vel illud est occultum; et in hoc casu honestas simul, et justitia obligant ad illud manifestandum, ac secus contractus est nullus, et tenetur venditor ad damna emptori supervenientia, ut confirmat D. Th. *quodl. 2. n. 20.*: *Si hujusmodi vitia sint occulta, et ipse non detegat, erit illicita, et dolosa venditio, et tenetur venditor ad damni recompensationem.* Si vero vitium est secundi generis, idest accidentale, nulla adest obligatio illud manifestandi, sed tantum de pretio subtrahere quantum oportet propter hujusmodi vitium; quare idem D. Th.: *Cum usus rei est conveniens emptori, si venditor propter hujusmodi vitium subtrahat quantum oportet de pretio, non tenetur ad manifestandum vitium* (*2. 2. qu. 77. art. 2.*).

349. Respondetur ad 3.m, nihil posse retinere de rei pretio, qui tradita sibi re ad illam vendendam pretio designato, pluris eam vendiderit; idque, ait Lig., sive sit famulus stipendiatus domini rei, sive pretio conductus ad vendendum; tum quia designatio illa facta est a Domino, ne infra, non autem ne supra res vendatur; tum quia res semper Domino suo fructificat. Excipitur tantum, ut idem subdit, 1.°, si tacite cum Domino convenerit, nihil ei dare

praeter pretium designatum; quod Lugo, Salm., etc. intervenire asserunt, si Dominus nullum ei pro labore promiserit stipendium: ac 2.°, si facta communi diligentia, et pretio majori non invento, rem sibi emat, et postea pluris vendat, solvendo Domino solum assignatum. Tunc autem censeri, advertit Lugo, quod rem voluerit sibi emere, si habuerit animum retinendi sibi excessum, et simul assumendi periculum rei, si forte periisset (l. 3. n. 825.). Quoad ementes vero nomine alieno, ac retinentes quod minoris emerint a mercatore, ut facere assolent Sartores, caute, scribit Lig., procedendum, nam mercatores potius simulant ipsis donare, quam donent, ita ut si Dominus ipse adiret, rem quoque pro eodem pretio obtineret. Caeterum si Sartor fideliter negotium Domini gerat, et mercator ei aliquid donet vere gratis, vel quia suam officinam frequentat, vel ut eum alliciat ad illam frequentandam, licite Sartor posset retinere donatum, modo moralem diligentiam adhibuerit ad emendum ab aliis mercatoribus pretio minori (n. 826.).

350. Respondetur ad 4.^{m}, quodvis monopolium, quod definitur *duorum, vel plurium conventio, ut ipsi soli aliquid vendant, aut nempe conspirantes inter se ad emendum ex. gr. frumentum omne, ut illud deinde carius vendant, vel impedientes ob eumdem finem, ne aliae merces advehantur, vel demum convenientes, ut non minoris vendant*; et charitati, et justitiae adversari manifestum est, quia laeditur jus populi, ne privata auctoritate rerum pretium augeatur, ac ne mercium caritas inducatur. Hinc autem sequitur, in eodem genere injustitiae comprehendi etiam mercatores

merces suas ob praedictum finem supprimentes: sicut etiam si unus, vel plures emant res ad victum, vel usum communem necessarias fere omnes; fere omne triticum ex. gr., vel vinum tempore messis, vel vindemiae, etc., ut postea vendant majori pretio, quam juxta fori aestimationem venderentur: in utroque enim casu fit, quod pretium privata auctoritate, ideoque injuste augeatur. Quod si pretium non augeatur supra summum, probabile censet Lig., peccari tantum contra charitatem, et contra justitiam legalem, non vero contra justitiam commutativam, cum unusquisque jus habeat rem suam rigoroso pretio vendendi (l. 3. n. 816.). Sicut etiam censet probabile n. sequ., quod peccent tantum contra charitatem, non vero contra justitiam, qui conspirent, ne merces vendant nisi summo pretio, sed tamen justo: 1.ᵐ, quia licet charitas non obliget ad vendendum infra pretium summum, obligat tamen ad non dissuadendum aliis, ne mitiori pretio vendant; sicut licet non obliget ad dandam hic, et nunc eleemosynam, obligat tamen ad non dissuadendum aliis, qui eam largiri velint. Alterum, quia licet conventio hujusmodi lege positiva sit prohibita, dici tamen nequit jure naturali injusta, nisi dolus, vel fraus intercedat; tum quia secus peccaret quoque contra justitiam qui alteri suaderet, ut venderet pretio summo: tum quia res perinde se habet, ac si quis impediat alium sine vi, et fraudibus a consecutione alicujus boni non debiti. Licet tamen mercatoribus, postquam cives sibi providerint de necessariis ad victum, vel usum communem, quod reliquum fuerit emere, ut postea moderato lucro illud

vendant: sicut etiam licet Principibus concedere alicui, ut solus vendat aliquod mercium genus, modo non ultra justum pretium; neutrum namque dici potest monopolium, ut ex definitione patet.

Caput XIV.

De contractu census.

351. Distinguitur census in reservativum, *quo quis in alterum transfert rei suae dominium directum, et utile, reservato sibi jure pensionis annuae super eadem re*; quem licere, ex se patet, sicut enim quis potest rem suam tradere, vel non tradere, ita et tradere, reservato sibi jure pensionis: et consignativum, de quo hic loquendum, ac definitur *contractus, quo quis emit certa pecuniae summa jus percipiendi quotannis certam aliquam pensionem, prout lege, vel consuetudine sit praescriptum*. Id caeterum fieri etiam posse pecunia debita, minus probabile est ex Lig., sed non improbabile, modo absit fraus, aut injustitia (l. 3. n. 846.): quod enim prohibitum fuerit a Pio V. Const. *Cum onus*, id non obstat, cum non solum in nostro Regno non vigeat, sed nec in Germania, in Hispania, in Gallia, in Belgio, immo nec etiam Romae, ut ait Tourn. Ex Const. autem Nicolai V., quae incipit *Sollicitudo*, edita ann. 1452 pro utraque Sicilia, pensio solvenda esse nequit ultra decem pro centum. Subdistinguitur census consignativus in realem, et personalem. Realis est, *qui constitutus fuerit super aliquo praedio, domo, aut alia re utili, stabili, ac frugifera*. Per-

sonalis vero, *qui constitutus fuerit super personae opera, vel industria*. Sicut etiam uterque vel redimibilis est, vel irredimibilis. Primus est, *qui ex utraque, vel ex una saltem parte redimi potest*. Alter, *qui neutra ex parte redimi pro arbitrio valet*.

352. Quibus positis: Et realem, et personalem per se licere, ex eo patet quoad realem, quod non est, nisi virtualis emptio, et venditio, vi cujus emitur, non quidem ipsa pensio, sed jus ad illam; vel potius pars ususfructus praedii, super quo constituitur, ita ut dominium praedii directum maneat penes venditorem, dominium vero utile ex parte vendatur. Solum ergo non licebit, eritque injustus, si pensio excedat pretium lege, vel consuetudine receptum. Personalem vero licere, justumque esse, docent quoque primae notae TT., modo persona, in qua fundatur, aliquid sive ex officio, sive ex labore, et industria lucrari possit: tum quia sicut pretio aestimabile est, eoque emitur jus ad pensionem ex re frugifera, ita etiam jus ad pensionem ex officio, sive labore, et industria hominis: tum quia similiter non est, nisi virtualis conductio, et locatio, qua conducitur, et locatur opera, et industria censuatarii. Quod si prohibuit quoque Pius V., constitui censum, nisi super re stabili, et frugifera, ejus tamen Bulla abrogata est penes nos a consuetudine, ut supra diximus.

353. Non negandum quidem, quod docet Ben. XIV. lib. 7. de Syn. c. 48., censum personalem usurae periculo non vacare: et personalem tamen, aeque ac realem suapte natura longe ab usura abesse, ex eo etiam patet, quod in mutuo, ex quo usura pro-

fluit, cogitur mutuatarius ad reddendam sortem; in censu autem tam reali, quam personali capitale fit demortuum: ex quo quis non videt latissimum discrimen mutuum inter, et censum tam realem, quam personalem, atque hinc longam utriusque ab usura distantiam? Difficilius proinde usura vacat, sive personalis, sive realis sit, cum constituitur ex utraque parte redimibilis: qui caeterum, modo absit animus usurarius, etiam reputatur licitus a communiori DD., quia si licet, inquiunt, emptio cum pacto reemptionis, ut diximus num. 347., licitum quoque esse, dicendum est, censum ex utraque parte redimibilem, cum non sit aliud, nisi virtualis quaedam emptio, et venditio. Nec valet dicere, quod tradere pecuniam cum pacto eam rursus recipiendi sit verum mutuum, adeoque usura quidquid ipsius vi supra sortem exigitur: tunc enim tradere pecuniam cum pacto eam rursus recipiendi est mutuum, cum pecuniae periculum transfertur in accipientem pecuniam, in mutuo enim si perit pecunia, mutuatario perit: at in censu, si res pereat, cui census est annexus, perit censuanti, quia perit census, modo censuatarius non sit in culpa: ex quo sequitur, propositam difficultatem nihil facessere, saltem contra censum realem, etsi constituatur ex utraque parte redimibilis sub conditionibus cit. num. designatis. Quod autem pereunte re, super qua census constitutus est, pereat census, ex ipsa census natura manifeste sequitur: cum enim sit virtualis quaedam emptio, sequi idcirco debet leges emptionis, juxta quas et res emenda esse debet individualiter determinata; et perfecto emptionis contractu, si forte res pereat, perit emptori,

ut diximus n. 330., et 331. Pactum caeterum, quod pereunte re specialiter designata, maneant obligata reliqua censuatarii bona, valet, ut docet Lig. l. 3. n. 847., 1.° ad reddendam rem specialiter designatam securam ab evictione, si nempe extet gravata aliis censibus, hypothecis, etc. Ac 2.° ad hoc, quod etiamsi fundus, super quo census constitutus est, per aliquot annos non det fructus, teneatur tamen censuatarius integram solvere pensionem, dummodo tamen minor pensio in compensationem assignetur.

354. Demum praeter censum reservativum, et consignativum, adest et census vitalitius, idest, *quo quis certa pecuniae summa emit jus percipiendi annuam pensionem, donec vivat*: quem etiam licere, ex eo patet, quod non sit aliud, nisi virtualis quaedam sponsio. Quotannis autem percipi posse 12., vel 14. pro 100., putat Mazz.: aliquando etiam 16. pro 100., putat Less.: sed melius dicendum est cum D. Th., habendam esse rationem aetatis, et valetudinis censualistae, ac juxta utramque constituendum.

Caput XV.

De locatione, et conductione: nec non de emphyteusi, feudo, sponsione, ludo, assecuratione, fidejussione, pignore, hypotheca, et cambio.

355. Definitur locatio *contractus, quo res aliqua mobilis, vel immobilis, vel opera, aut industria personae alteri fruenda traditur ad tempus, pretio, aut*

mercede constituta. Conductio *contractus, quo rei usus, vel personae opera ad tempus accipitur pro mercede*. Scitu autem quoad utramque necessaria sunt 1.°, quod iisdem regulis fieri debent, ac venditio, et emptio, quibus comparantur: quod caeterum non obstat, quin locator, si pluribus seorsim, non tamen simul concurrentibus, operam suam locet, a singulis integrum stipendium accipiat; nam ex una parte obligationes, quibus se onerat, sunt distinctae, et independentes ab invicem; et ex altera, quod ejus opera sit per accidens simul alteri utilis, valorem, quem habet relate ad utilitatem uniuscujusque conductoris, non minuit. Docet etiam hac super re Hyac. Stampò, quod si famulus, vel operarius se ultro offerat Domino; et hic potius ex misericordia, quam quod ejus opera egeat, illum conducat, poterit minor merces ei constitui, et saepe sufficiet ei praebere alimenta. 2.°, quod ut sancitum est l. 38. ff. locati: *Qui operas suas locaverit, totius temporis mercedem accipere debet, si per eum non stetit, quominus operas praestet.* 3°., quod licet jure naturali sterilitatis jactura per se spectet ad conductorem, utpote ipse Dominus fructuum, cui proinde perire debent ex lege generali, quod omnis res Domino suo perit; ob aequitatem tamen juris introductum est, quod si damnum sit ingens, remittatur aliquid conductori de pensione constituta, nisi sterilitas illius anni ab ubertate aliorum annorum compensetur. Hinc si nulli fructus percipiantur, nulla, ut docet Lugo, debetur pensio. Si autem aliqui, tunc idem docet, remissionem esse faciendam, quando de-

ductis semine, et expensis, non supersit quod sufficiat ad solvendam dimidiam pensionem. Addunt tamen Croix, Laym., etc., servandam esse quod hoc locorum consuetudinem. 4.° , quod conductor potest ante terminum amoveri ob quatuor causas : 1.° ob casum impraevisum, ob quem res locata necessaria sit Domino. 2.° si res locata refectione egeat, nec possit refici altero inhabitante. 3.° si abutatur re locata. 4.° si conductor statuto tempore pensionem non solverit in locato trium, aut quatuor annorum; et per biennium in locato quinque, vel decem annorum.

356. Emphyteusis est *contractus*, *quo res immobilis conceditur alteri quoad dominium utile vel in perpetuum*, *vel saltem ad decennium cum onere solvendi pensionem annuam Domino directo*. Quod si emphyteuta gravem jacturam fructuum patiatur, tenetur pensionem solvere, si pensio sit modica, et detur magis ad recognitionem dominii, quam ad compensationem fructuum. Secus, si magna sit, et fere exaequet fructus ipsos, in quo casu ex aequitate esset minuenda, vel etiam remittenda, nisi, ut dictum est de locatione, ab ubertate aliorum annorum compensetur, vel aliter ferat locorum consuetudo. Dicitur hic contractus *emphyteusis* a meliorando; ex quo sequitur, teneri emphyteutam rem meliorem facere, vel saltem non deteriorare. Demum si pensionem constitutam non solvat per triennium, nisi vera, et sincera oblivio, vel verum, et reale impedimentum excusaverit, potest repeti res data in emphyteusim, una cum melioramentis ab emphyteuta factis; immo si fundus sit Ecclesiae, sufficit defectus biennalis, nisi

emphyteuta remedium afferat satisfactione solenni: quod proinde faciendum, ac decernendum esse per Judicem, consequens est, sicut etiam fert praxis: juxta quam item, etsi dies definita pro domino interpellet, ut dicitur cap. fin. *de locat.*, *et conduct.*, prius tamen admonendus est emphyteuta; et si statim solvat, purgat moram, si non, cadit in commissum.

357. Feudum est *contractus*, *quo res immobilis alicui conceditur cum translatione dominii utilis*, *proprietate retenta*, *sub onere exhibendi Domino directo fidelitatem*, *et obsequium personale*. Huc quoque pertinet contractus libellaticus, qui non est aliud nisi subemphyteusis, vel subfeudum; nec potest fieri ad decennium, nisi Domino consentiente.

358. Sponsio est *contractus*, *quo duo*, *vel plures de eventu alicujus rei certantes*, *sibi invicem aliquid spondent*, *ut id ejus sit*, *qui veritatem assecutus fuerit*: utque liceat, requiritur, ut ex utraque parte incertitudo, vel probabilitas sit aequalis; secus, obligatio etiam contrahitur restituendi acceptum. Saepe tamen excusari nequit a veniali, utpote nulli deserviens utilitati, ut ait D. Antoninus, sed vanitati, et prodigalitati. Per Bullam autem Pii IV. vetitae sunt sponsiones super electione, vita, ac morte Pontificis; quod Greg. XIV. extendit etiam ad electiones Cardinalium sub excommunicatione latae sententiae.

359. Ludus est *jucunda quaedam occupatio ad levamen animi instituta*, *cum pacto inter ludentes*, *ut victori cedat*, *quod uterque deposuit*, ob quod pactum habet rationem contractus. Licitum porro per se esse, modo debitae conditiones adsint, et aliunde non

interveniat scandalum, aut justa prohibitio, aut iniquitas se misceat, nec peccati sit occasio, ex se patet; animum namque aliquando relaxare et licet, et expedit; pactum vero inter ludentes, ut victori cedat, quod uterque deposuit, honestum quoque est, et justum, quia sicut quivis rei suae dominus potest alteri eam donare absolute, sic etiam sub aliqua conditione, sive ea fortuita sit, sive ex industria pendeat. Hinc sequitur, quod, prout institutus ad levamen animi, oportet, ut nec saepius, nec diutius ludatur, quam exigat necessitas reficiendi vires animi; et prae oculis habeatur, quod Aristotiles apud D. Th. ait: *Parum de delectatione sufficit ad vitam, quasi pro condimento, sicut parum de sale sufficit in cibo.* Prout contractus vero inter ludentes, quod victori cedat, quod uterque deposuit, necesse est 1.°, quod ludentes habeant facultatem disponendi de iis, quae ludo exponunt: ex quo sequitur, restituendum esse, quod in ludo acceptum sit a Religiosis, vel filiis familias, nisi hi habuerint bona vel castrensia, vel semicastrensia, vel nisi sit quid modicum, de quo praesumi possit, ut ait D. Antoninus, quod patres, tutores, et hujusmodi non curarent: sicut etiam sequitur, quod Religiosus, vel filius familias restituere debent, quod ludo lucrati fuerint, cum enim in omni contractu, ut sit justus adesse debeat aequalitas, hinc quemadmodum non poterant perdere in ludo, neque etiam poterant lucrari: 2.° ut nulla fraude, vel injuria cogatur ad ludendum imperitus in ludendi arte, sub onere etiam restitutionis; nec in ludo adhibeantur industriae, vel artes non receptae, quod pariter obli-

garet ad restituendum. Licet autem aliqui ad restituendum damnent eum quoque, qui lusit, certo praesciens, se victurum esse, cum non adsit aequalitas periculi contractui necessaria; Toletus tamen, et alii id negant, modo non adsit dolus, cum nemo teneatur ex justitia peritiam suam alteri declarare, sed is temeritati suae debet adscribere, quod ausus fuerit cum eo ludere, cujus ludendi peritiam ignorabat. Certe e contrario ad restitutionem tenetur, qui ludens habuit animum non solvendi, neque enim, ut supra diximus, poterat lucrari. Laici demum ludentes aleis, aut aliis ludis a jure prohibitis non peccant graviter ex Lig. l. 3. n. 885; nec ad restitutionem tenentur ante sententiam Judicis, cum jura non declarent irritum contractum, nec impediant acquisitionem dominii, sed tantum concedant facultatem repetendi amissum. Quare an qui ludo vetito perdidit, teneatur solvere, hinc, indeque probabiliter disputatur. Probabilius tamen ex eod. Lig. non tenetur: cum enim victis detur actio repetendi amissum ex l. *Alearum C. de Rel. et sumptib. fun.*, ubi dicitur quod *solutum reddatur*, *et actionibus competentibus repetatur ab iis, qui dederunt*; ad quid tenerentur solvere, cum possint deinde repetere solutum? Quod confirmatur ex l. *Creditori* 5. *de pactis*, ubi dicitur: *Frustra solvitur, quod statim repetendum est* (n. 890.). Pauca demum de caeteris.

360. Assecuratio est *contractus, quo quis alienae rei periculum in se suscipit, obligando se ad eam compensandam, si perierit.* Hinc bene licet pro ea pretium pacisci, cum sit onus, ut nemo non videt, pretio aestimabile. Requiritur tamen, ut rei eventus sit

utrique incertus, alioqui non servaretur aequalitas. Fidejussio est *contractus, quo quis alienam obligationem suscipit implendam, si debitor principalis non impleverit.* Hinc fidejussor non potest ad plus obligari, quam principalis debitor. Cumque sit etiam, ut nemo non videt, onus pretio aestimabile, bene etiam licet pro ea pretium cum debitore pacisci; idque, ut Lig. docet, etsi nullum periculum timeatur, cum talis oneris assumptio ex se sit pretio aestimabilis (l. 3. n. 912.). Mulieres tamen, et Clerici non obligantur ex fidejussione, nisi in quantum commode possint solvere, saltem nisi adsit juramentum, et instrumentum publicum. Pignus est *contractus, quo debitor rem aliquam mobilem tradit creditori, ex qua iste possit sibi solvere, si debitor non solvat.* Quod si res sit immobilis, dicitur hypotheca. Non possunt tamen oppignorari, vel subjici hypothecae, quae non possunt vendi, ut calices, casulae, ac caetera mobilia pretiosa, eoque magis immobilia Divino cultui consecrata, nisi in necessitate. Cambium denique late sumptum est *permutatio unius rei cum alia*: stricte vero, prout hic sumitur, est *permutatio pecuniae cum pecunia, cum lucro campsoris.* Ut licitum autem, justumque sit, importare debet vel permutationem pecuniarum minorum cum majoribus, vel e converso: vel virtualem trajectionem pecuniae, ejusque assecurationem; minus tamen exigendo, quam si pecunia reapse alio transferretur: utrumque enim ex dictis cambiis est pretio aestimabile, ut evidenter patet, habetque suam realitatem; caetera vero sunt sicca, nec ab usurae labe immunia.

Caput XVI.

De contractu societatis.

361. Definitur hic *contractus, quo a duobus, vel pluribus contributis rebus vel ad lucrandum idoneis, vel fructiferis, convenitur, ut finita negotiatione dividatur inter eos tam damnum, quam lucrum pro rata, seu juxta rationem rerum ab unoquoque contributarum.* En autem quae habenda sunt prae oculis, ut recte fiat. I. Quod dum in societatem unus confert pecuniam, et alter operam, in fine societatis ante omnia capitale est Domino restituendum: quia pecunia in societatem collata fit communis sociis quoad usum tantum, et lucri commodum, non vero quoad dominium, et proprietatem. Ex quo sequitur, quod sicut si pecunia perit, Domino perit; ita quoque si superest, Domino superest. Nec id est injustum, etiamsi, finita societate, sola supersit sors, seu pecunia; sicut enim socius minor amittit fructum suae industriae, ita et Dominus pecuniae amittit lucrum et speratum ex negotiatione inita, ad quod conferendo pecuniam jus acquisierat, et quod commoditate pecuniae conquirere sibi aliunde poterat.

362. II. Quod detracta sorte, et Domino restituta, lucrum dividendum est pro rata: habita scilicet ratione valoris industriae ex una parte, et ex altera commoditatis praestitae per contributionem pecuniae, cujus commoditatis valor estimandus est juxta aestimationem lucri, quod communiter haberi solet ex pecunia

applicata ad negotiationem. Hinc advertit Lig., quod aliquando mercatoris industria plus valebit, quam usus pecuniae, et tunc proportionaliter debet lucrum distribui; ita ut aliquando licitum esse possit pactum, ut in fine etiam capitale dividatur, aeque interim distributo lucro, prout fit ex consuetudine in pluribus locis in societate animalium: aliquando vero, quod multum valet usus pecuniae, et parum socii industria ob multitudinem operariorum societatem petentium: qua ratione (pergit) poterunt forte excusari plures contractus, qui primo aspectu videntur injusti, eo quod operariorum industria in societatem collata juxta consuetudinem loci communiter non pluris ibi aestimatur (l. 3. n. 907.). Apposite etiam P. Pav. in opere italice edito, cui titulus Luce etc.: *Riflettasi, che per l'ordinario pochi vi sono, che vogliono dare il danaro, e moltissimi, che vogliono mettere l' opera. Quindi si troverà, che il valore del comodo del danaro l' uso porta, che si fissi a prezzo alto, e 'l valore dell' opera a prezzo basso. E quando non vi sia eccesso soverchio, la cosa sarà giusta. Ma se volete, per conoscere la giustizia di quella società, apprezzare l' opera, come si apprezzerebbe fuori della società, non vi troverete mai ai conti, e direte, che il contratto è ingiusto, quando in verità per l' assegnata ragione è giustissimo. Dovendosi ancora riflettere, che se quelle persone, che mettono l' opera in qualche società, non avessero chi prendesse il danaro, onde non potessero fare detta società, appigliandosi ad altra fatica, o niente, o quasi niente avrebbero da lucrare; e su di questo ancora è fon-*

data la consuetudine di stimar poco la detta opera (*n.* 498.). Et paullo ante: *Vi sono alcuni contratti, ne' quali se vogliasi dare al socio minore quel, che in rigore gli spetterebbe secondo i principj generali, non vi sarebbe vantaggio pe'l socio maggiore, onde nessuno farebbe un tal contratto. All' incontro se manca il contratto suddetto, si toglie a' poveri di quel luogo il modo di lucrar qualche cosa. Sicchè da una parte il bisogno de' poveri rende necessario, che un tal contratto si faccia: dall' altra parte non può farsi, se non si accorda qualche vantaggio a' socj maggiori. Quindi è espediente pe'l bene della Repubblica, che si accordi tal giusto competente vantaggio, quantunque l' utile de' socj minori non sia proporzionato alla loro opera... In simili contratti, per verificarsi, che* servatur aequalitas, *non si esamina, che cosa si mette dall' una, e dall' altra parte, ma soltanto ciò, che da ambedue le parti si trae di guadagno* (*n.*493.). Advertendum quoque est cum Lugone, quod cum socius major in societatem confert animalia, non debent haec regulari juxta aestimationem lucri, quod fieri potuisset ex pecunia in iis emendis expensa, si applicata fuisset ad negotiationem; tum quia animalia multo plus fructificant, quam pecunia, *ut constat in iis, qui equos itinerarios locant, qui uno anno solent pretium totum, quo equum emerunt, sibi ex locatione equi recuperare*; tum quia *in animalibus capitale non est perpetuum, sed defectibile, et ad paucorum annorum periodum duraturum* (*De just., et jure t. 2. disp. 29. n. 78.*).

363. III., quod injustum omnino esset pactum,

quod empta merce, puta animalibus, ante omnia, durante adhuc societate, restituatur Dominio suum capitale, puta illorum valor, et deinde quod superest in fine societatis, aequaliter dividatur: constitueret enim pactum hujusmodi manifestam inaequalitatem inter socium majorem, et minorem, nam illi auferretur periculum sui capitalis, quia jam durante societate illud salvum faceret, cum socius minor, si postea merx periret, subjaceret damno amissionis et cujuscumque lucri, et operarum, quas praestitit.

364. IV., quod pacto inito, ut diximus n. 362., quod et lucrum, et sors sit communis, licet quoque pacisci, quod sorte pereunte, commune etiam sit damnum inter ponentem pecuniam, et mercatorem: quia sicut ponens operam habet commodum, ut ipsi tradatur media pars sortis, quamvis sors de jure tota ad Dominum spectet, sic aequum est, ut sorte pereunte, subeat quoque medietatem damni, licet damnum sortis ad ipsum non pertineret. Ita Lig. n. 907.

365. V., quod licet pereunte sorte, seu summa capitali, quam quivis contulit, tribuenti pereat, quia apud eum manet ipsius dominium; si tamen pereat culpa alicujus socii, tametsi levi, tenetur hic illam Domino restituere, nisi aliter ferat alicujus loci lex, aut consuetudo, quod nempe socii teneantur tantum de culpa lata, et dolo. Damna autem, et expensae ita esse debent cummunes sociis, ut quaecumque alter expendat, vel perdat societatis causa, possit jure repetere: secus tamen de illis, quae nonnisi remote ad societatem pertinent, cujusmodi essent sumptus, quos socius itinerans ob societatem domi fecisset.

366. VI., quod per se non licet contractus vulgo dictus *ad caput salvum*, quo nempe Pastori tradantur animalia cum pacto eadem reddendi omnino salva in eodem nŭmero, et lucrum dividendi; quia sors ponentis periculo stare debet, utpote ipse ejus Dominus. Attamen si per se non licet, redditur licitus, ubi illi adjiciatur alius contractus assecurationis, modo compensetur Pastori per majorem partem fructuum onus periculi sortis, quod in se suscipit. Immo in animalium societate et licet, et expedit haec sortis assecuratio, saltem in parte, ut socius debitam diligentiam adhibeat, ne pereant; quippe quam negligendo, difficulter de culpa convinci posset. Quantum autem tribuendum sit ob sortis assecurationem, standum est judicio peritorum, vel praxi timoratorum cujuscumque loci; utque docet Lig., consultius est hos contractus seorsim inire (l. 3. n. 909.). Videtur quidem sortis assecuratio satis compensari, si de fructibus societatis duae dentur socio minori, unamque tantum socius major sibi vindicet; quemadmodum in simili contractu decernit Card. De Luca. Quia tamen circumstantiae differre possunt, securior regula est communis aestimatio, et usus virorum etiam piorum, et timoratorum; prout etiam in citato opere advertit P. Pav.: *In simili contratti la comune estimazione, e l' uso comune danno il giusto regolamento da tenersi. Quando il contratto è ingiusto, o usurario, quantunque comunemente si faccia, non per questo se ne toglie l' ingiustizia, o l' usura. Ma quando è giusto, e non vi è usura, ma soltanto vi bisogna l' arbitrio de' prudenti, per tassare il quantitativo*

della pensione da esigersi, un tale arbitrio si manifesta nella comune pratica (*n.* 496.).

367. An autem contractui societatis liceat adjungere contractum assecurationis et sortis, et lucri, ac simul hunc trinum contractum inire, et societatis nempe, et assecurationis sortis, et assecurationis ipsius lucri, acriter inter TT. disputatur. Negant multi: 1.° quia in hoc trino contractu societas vertitur in mutuum virtuale, vi cujus lucrum exigitur supra sortem, quod est usurarium; dempto enim periculo sortis, et lucri, non remanet socio, nisi usus pecuniae, ut pecuniae: 2.° quia inito societatis contractu, justitia lucri fundatur in societate, quae per assecurationem sortis, et lucri omnino destruitur; ratio enim societatis exigit, ut periculum sortis sit penes socium majorem, et periculum lucri penes utrumque: 3.° quia non servatur aequalitas inter socios, qui enim confert pecuniam natura sua sterilem, particeps est lucri, et nec damni, nec periculi; alter vero incertus de lucro, subit totum damnum, et periculum. Probabiliter tamen affirmant alii, id licere, dummodo absit animus foenerandi, et omnino obligetur socius pecuniam accipiens ad eam negotio applicandam: 1.° enim, ut ipsi Adversarii coguntur fateri, possunt illi tres contractus cum diversis personis iniri, immo et cum eadem diversis successive temporibus. Cur non igitur cum una, eademque, ac eodem tempore? 2.° quia justus dicendus est contractus, in quo, immoto manente fundamento lucri, pacta, quae apponuntur, juste compensantur. Omne autem istud habetur in contractu trino, de quo agi-

tur; immoto enim manente societatis contractu, qui est lucri fundamentum, subsequentes contractus assecurationis primum sortis, ac subinde lucri compensantur fructibus societatis: Justus igitur. 3.° quia ubi deest mutuum, ibi et usura deesse debet; cum haec non sit, nisi lucrum ex mutuo ratione mutui. Porro in contractu trino, de quo agitur, nec verbum quidem de mutuo, ac solum initur contractus primum societatis, deinde assecurationis sortis, postremo assecurationis lucri, ac proinde deest mutuum: Et usura igitur deesse debet. Potissimum autem reprobatur, ut usuram tegens: Cum ergo hoc sit falsum, immerito reprobatur. Resp. autem ad 1.^{m}, quod in mutuo potest mutuatarius de sorte pro arbitratu disponere, cum tamen in casu nostro obligetur qui suscepit pecuniam ad impendendam illam negotiationi, standum enim pactis. Ad 2.^{m}, quod sicut in commodato, in quo periculum rei fortuitum natura sua spectat ad Dominum, justa tamen compensatione facta, potest illi adjici pactum, ut periculum sit penes commodatarium, quin pereat contractus commodati, ut habetur ex cap. un. *de commod.*, sic, et eo magis in contractu societatis, de cujus essentia tantum esse videtur, ut utraque pars aliquid conferat ad communem usum, et lucrum, et aequalia sint commoda, et incommoda. Ad 3.^{m}, quod si socius principalis non sentit incommodum periculi sortis, sentit tamen incommodum minoris lucri; et sic e converso incommodum, quod sentit socius minor, assecurando majorem tum de sorte, tum de lucro, illud sibi compensat commodo majoris lucri, et sic fit aequalitas. Ad Bullas autem

Sixti V., et Pii V., quae etiam producuntur ab Adversariis, respondetur a quibusdam quod in desuetudinem abierint: ab aliis vero, quod solum damnent contractus hujusmodi animo foenerandi initos; sicut declaratum fuisse vivae vocis oraculo ab eodem Sixto V., testatur De Lugo; et confirmatur a Card. Toleto, et S. Severina, quibus a laudato Pontifice commissa fuit cura Bullam producendi; nec non Decis. etiam quadam Rotae Rom: sub die 3. Junii 1602. Quibus accedit quoad Bullam S. Pii V. quod de eadem diximus n. 351. Ita igitur hinc inde disputatur.

368. Caeterum cum negari non possit, contractum hujusmodi animi usurarii periculo non carere, ut sapienter notat Ben. XIV. l. 7. de Syn. c. 1., hinc docet Lig., omnino expedire, ut prima sententia universe omnibus suadeatur, licet secunda sit etiam, ut ab eodem definitur, satis probabilis (l. 3. n. 908.). Et sane, ut disserit Abelly, quis inter homines erit, qui in ejusmodi negotiatione hoc primum sincere intendat, societatem scilicet inire cum mercatore, et cum illo de lucro, et damno periclitari; postea vero perspecto mercatoris animo, ac illi potius, quam sibi gratum aliquid praestare cupiens, velit cum eo pacisci de capitalis sui, ac lucri assecuratione, abstrahendo semper ab omni usurario affectu?

Caput XVII.

De tutela curatela, et testamentis.

369. Et 1.° dicitur tutor *is, qui legitima auctoritate curam suscipit pupilli, et bonorum ejus.* Curator

vero *is*, *qui legitima auctoritate curam suscipit bonorum pupilli*, *et personae ipsius*. Pupillus autem dicitur *qui est absque patre*: ac dicitur infans *qui nondum septennium complevit*: pubertati proximus *qui decem annos cum dimidio attigit*, *si sit vir*, *et novem cum dimidio*, *si sit foemina*, ante quam aetatem dicuntur infantiae proximi: pubes *qui* 14. *annum complevit*, *si sit vir*, *ac* 12., *si sit foemina*: post quam aetatem usque ad annum 25 completum tam vir, quam foemina dicitur minor; et posthac major. Quibus praemissis: in hoc primum differunt tutor, et curator, quod tutor datur impuberibus etiam invitis, et praecipue ad eorum educationem, secundo ad curanda ipsorum negotia: curator vero datur post expletos annos pubertatis usque ad annum 25. completum, ac praecipue ad curam bonorum ejus, deinde personae; nec jure communi assignatur invitis, nisi in certis casibus. Sunt autem alii testamentarii, alii a magistratu constituti, alii a jure; qualis prae caeteris est mater, si promittat, se non transituram ad alias nuptias, quin prius rationem reddat, deinde sola avia inter foeminas, et consanguinei proximiores idonei: ac tutelam sumendo, jurare debent, fideliter se officio functuros, nec non fidejussionem dare de restituenda salva, et integra re pupilli, cui cuncta eorum bona sunt hoc ipso hypothecata, ut de illis pupillus repetere possit quidquid eorum culpa passus sit detrimenti. Cum tamen hujusmodi onus sit, ut quisque videt, pretio aestimabile, posse idcirco administrationis pretium exigi, consequens est: atque haec sint satis quoad tutores, et curatores; a quibus modo ad pupillos.

370. Pupillus itaque, dum infans est, vel infantiae proximus, nihil per se efficere potest, quo ullatenus vel alteri obligetur, vel alium sibi obliget: ut tamen habetur in Inst. *de auct. tut.* initio, *minor, et pubertati proximus non possunt sine auctoritate tutoris, aut curatoris contrahere in suum incommodum, possunt tamen in suum commodum*, in suam scilicet utilitatem: idque sancitum est, ut illorum aetas in damnis eis succurreret, et in prospere gestis nihil detrimenti afferret. Caeterum *qui cum pupillo contraxerit, potest contractus executionem recusare* (ait Colet), *nisi pupillus tutoris consensum, aut Judicis decretum obtinuerit* (*De contr. p.* 1. *c.* 2.). Pubes autem, vel minor res immobiles, aut etiam mobiles, quae servando servari possunt, ut aurum, gemmas, caeteraque mobilia pretiosa, nec etiam de tutoris, vel curatoris auctoritate, et consensu, alienare valide potest, nisi accedat Judicis licentia, et probatio causae exigentis, ut haec alienatio fiat, puta ut aes alienum solvatur, etc., ex l. 22. Cod. *de administr. tut.*, *vel cur.*; quare nec etiam sine Judicis decreto potest remittere, vel renunciare haereditati, legatis, fideicommissis, aliisque juribus sibi acquisitis, nisi Religionem profiteatur: bene vero ab eo alienari possunt cum tutoris, vel curatoris auctoritate mobilia, quae servando servari non possunt, idest per triennium sana custodiri, ut vinum, vestes usu detritae, etc. (*ibid.*). Contrahentes autem super mobilibus hujusmodi, quaeque dicuntur non pretiosa, absque tutoris, vel curatoris consensu, licet non obligentur civiliter, obligantur ne tamen saltem

naturaliter? Diximus *super mobilibus non pretiosis*: omnes enim concedunt, nec quidem naturaliter obligari contrahentes super immobilibus, vel mobilibus pretiosis sine Judicis auctoritate, utrumque enim legibus prohibetur, et irritatur, ita ut nulla inde oriatur obligatio. Propositae igitur quaestioni respondetur, quod de pupillo infantiae proximo omnes quoque concedunt, eum nec quidem naturaliter obligari ex l. sup. cit.: sicut etiam omnes concedunt, nec naturaliter obligari, qui unicum tutorem habens, cum eo contraheret ex l. *pupill. ff. de auct. et cons. tut.* Pupillus vero vel minor, vel etiam pubertati proximus, contrahens super mobilibus non pretiosis sine tutoris, vel curatoris consensu, licet non obligetur civiliter, obligatur tamen naturaliter: tum quia obligatio naturalis oritur ex consensu, quem satis praestare potest pupillus vel minor, vel pubertati proximus, cum possit per vota se Deo obligare, quorum obligatio utique gravior est, quam plerorumque contractuum: tum quia principali nullo modo obligato, non obligari fidejussorem, docent communiter Jurisperiti. Constat autem ex l. 25. *ff. de fidejuss.*, quod fidejussor pupilli, qui sine tutoris auctoritate contraxit, obligatur civiliter: ergo et pupillus naturaliter saltem obligari debet. Cum tamen jus habeant a legibus sibi concessum propter infirmam eorum aetatem, ut naturalem, quam contrahendo susceperunt, obligationem elidant, petendo a Judice ejus rescissionem; hinc probabilissimum censet Lig., quod non teneantur solvere vel ludis perditum, vel alio contractu promissum; quia cui competit actio ad repe-

tendum, competit etiam exceptio ad retinendum, ut etiam diximus n. 359. Ad quid ergo inserviens naturalis illa obligatio, quam a pupillo contrahi diximus? Ad tradendum nempe creditori jus accipiendi, et retinendi quod sibi a pupillo solvitur, nulla opposita legis exceptione, donec scilicet pupillus beneficio restitutionis non utatur.

371. Ad testamenta nunc progredientes, definitur testamentum *dispositio legitima de iis, quae quis vult fieri post mortem cum institutione haeredis.* Ad quod refertur etiam fidei commissum, quod definitur *donatio a defuncto relicta, et ab haerede praestanda*; cujusmodi etiam definitur legatum. Pressius tamen intelligitur per fidei commissum *quod ita alteri relictum sit, ut non possit pro libito de illo disponere.* Quemadmodum et codicillum, quod definitur *supplementum testamenti ad aliquid in testamento explicandum, mutandum, detrahendum, vel ad legata instituenda.* Distinguitur autem testamentum 1.° in holographum, *quod* nempe *propria testatoris manu scribitur*; et non holographum, *quod* nempe *a testatore dictatum fuerit, et a publica persona acceptum.* Distinguitur 2.° in solemne, idest *illud, in quo servantur omnes solemnitates a jure praescriptae*; et privilegiatum, idest *illud, quod valet, etsi non omnes illae formalitates serventur*: quale est testamentum vel a milite, vel ab alio tempore pestis confectum. Ac 3.° distinguitur in scriptum, seu clausum, et nuncupativum. Primum est, *quod testator facit sua, vel alterius manu scriptum, et coram Notario, et septem idoneis testibus, qui eodem tempore subscribant, quibusque non indi-*

cet, quomodo de suis bonis disposuerit, sed solum declaret; tali scripto ultimam suam voluntatem contineri, ac sigillis totidem consignatum. Quod si testator nequeat manu sua subscribere, adhibendus est octavus testis. Testes autem idonei sunt viri, puberes, liberi, ingenui, et ad id rogati; nec admittuntur surdi, muti, furiosi, prodigi, infames; sicut nec frater, vel pater testatoris, cognati, qui in ejus sint potestate, haeredes, sed non legatarii, nec demum admittuntur tutores. Nuncupativum vero est illud, *quo testator coram septem testibus idoneis una simul praesentibus, qui ipsum testatorem videant, et audiant, suam voluntatem declaret loquendo, aut legendo*: vel *ostendendo schedam, coram illis declaret, in ea contineri suum Testamentum*: vel etiam *non ostendendo schedam, se reportet ad schedam determinatae personae consignatam, et coram iisdem declaret, in ea suum contineri testamentum.* Ad codicillum tamen sive in scriptis, sive nuncupativum sufficiunt quinque testes, etiam non rogati, et foeminae, addita ad Codicillum in scriptis testium subscriptione ex l. ult. C. de *Codicill.* Cujuscumque autem sint generis, sunt semper revocabilia. Hinc Ap. ait: *Ubi testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris, alioquin nondum valet, dum vivit, qui testatus est* (*Ad Heb.* 9.). Et Jurisperiti communiter dicunt, ambulatoriam esse testantis voluntatem usque ad supremum vitae exitum.

372. Non uno porro ex capite irritum esse potest, sed ex triplici: 1.° scilicet *ex solemnitatum ad substantiam pertinentium defectu.* Excipitur tamen testa-

mentum, quod a patre, matre, aliove utriusque sexus ascendente conditum sit in liberorum favorem: pro quibus decrevit tantum Justinianus, ne detur locus fraudibus, ut ad ejus valorem habeatur scheda manu parentis scripta, vel subscripta, in qua tempus conditi Testamenti, et nomina filiorum, ac portiones, in quibus instituti fuerint, exprimantur (*Auth. de test. imp.*). Caeterum etsi valeat quoad liberos, non tamen valet quoad alios, ut habetur in l. *Hac consultiss.*, et in l. *Ex imperfect. C. de Testam.* 2.° *deficiente complemento Testamenti*, ut si testator moriatur, aut loquelam amittat ante completum Testamentum, etsi haeredem instituerit: si tamen constet, testatorem voluisse alios haeredes instituere, vel legata ordinare. In dubio autem Testamentum valet: sicut etiam valet, si haeres sit causa pia, vel in eo sint scripta legata pia. 3. *deficiente libertate in testatore*, vel quia mentis inops, vel quia vi, dolo, aut precibus importunis coactus: immo ex Lig., etsi precibus simplicibus, suasione etc. (l. 3. n. 921.). Notandum hic tamen, quod testamentum ad pias causas, ut sit validum etiam in foro externo, sufficiunt duo testes, inter quos et foemina esse potest, et Confessarius, vel Parochus; neque ad ejus valorem opus est haeredis institutione: in foro autem conscientiae, supposita potestate disponentis, sufficere scripturam, nutum, vel aliud signum testatoris absque ullo teste, docent communiter DD. Sicut etiam, quod licet testamentum aliquod morte intercedente non fuerit absolutum, valet tamen quoad legata pia: quod testamentum ad pias causas non solemne revo-

cat etiam aliud solemne, tametsi hujus mentionem non faciat: ac demum, quod si haeredi constet voluntas testatoris quoad aliquam causam piam, sive id per verba constet, ut mox diximus, sive per nutum, sive per scripturam, tenetur in conscientia solvere legata pia, vel loco pio haereditatem cedere. Uni tamen testi, quantumvis probatissimo, non tenetur credere in sui praejudicium, ex c. *licet de Testibus*, ubi dicitur: *Nulla est causa, quae unius testimonio, quamvis legitimo, terminetur.*

373. Quaeritur tamen, an testamentum ad causas non pias carens solemnitatibus Juris saltem sit validum in foro conscientiae? Affirmant multi. 1.° ex l. ajente: *Nihil est tam conveniens naturali aequitati, quam voluntatem Domini volentis rem suam in alium transferri, ratam haberi* (*§. Per tradit. Inst. de rer. divis.*) 2.° ex eo quod testamentorum solemnitates a legibus eo solum fine requiruntur, *ne quid falsitatis in testamentis incurrat*, ut dicitur l. *quaest.* 23. c. *de fidei comm.* Quare dummodo certo constet de testantis voluntate, quisque potest tuta conscientia rem sibi testamento relictam retinere. Negant alii 1., ex l. *Hac consultiss. c. de Testam.*, in qua dicitur: *Ex imperfecto autem testamento voluntatem tenere defuncti non volumus.* 2.° ex eo quod testamentorum solemnitates institutae fuerint, non ex praesumptione fraudum, sed ob illarum periculum, quod semper reperitur: utque diximus l. 1. n. 74., leges fundatae in praesumptione periculi locum, ac vim habent etiam citra periculum. Hinc cum ii, qui Reipublicae praesunt, potuerint testamenta irritare, eaque de facto deficientibus solem-

nitatibus irritaverint, irrita ipsa esse in utroque foro, consequens est: quare a Magistratibus rescinduntur etiam cum certo iisdem constat, nullam de facto fraudem intervenisse. Probabilius tamen docet Lig., idque subdit, omnino in praxi sequendum, quod usque ad sententiam Judicis praeferendus est possessor, quia potius omni jure est jus possessionis: ex quo infert, quod usque ad Judicis sententiam nec haeres tenetur solvere; nec legatarii, si bona fide legatum acceperint, tenentur restituere (l. 3. n. 927.).

374. Testamentis porro cunctis juris solemnitatibus munitis, solus Pontifex, si agatur de causis piis, commutare potest eorum dispositiones, idque, ut Trid. ait sess. 22. c. 6., *nonnisi ex justa, et necessaria causa*. Episcopus vero solum aliquando potest ex *epicheja* una cum haerede interpretari voluntatem testatoris, ac legatum relictum in alium usum convertere; si nempe superveniat causa testatori ignota, quam si ille novisset, aliter disposuisset: immo idem potest, haerede etiam repugnante, quando pecunia ad aliquem finem legata, vel non sufficit, vel usus ille nequit moraliter impleri, vel intercedit aliquod impedimentum facti, vel juris, vel demum legatum factum est ad usus Ecclesiae minus necessarios, cum illa indigeat rebus magis necessariis. Quod si agatur de legatis profanis, possunt justa ex causa, et maxime ex publica necessitate in alia magis utilia commutari a supremis Principibus. A legibus autem infirmantur Testamenta, etsi cunctis juris solemnitatibus munita, 1.° si in iis filius posthumus praeteritus sit. 2.° si persona infamis instituta sit haeres, in quo casu possunt frater, ac

soror testatoris infirmare testamentum. 3.° demum si filii laesi fuerint in legitima (Lig. l. 3. n. 931., et 950.).

375. Distinguuntur autem haeredes, ad quorum institutionem praecipue Testamenta ordinantur, in necessarios, et liberos. Necessarius dicitur, *quem testator in portione legitima instituere constringitur, nisi habeat justam causam exhaeredandi.* Liber, *quem testator potest haeredem instituere, sed non tenetur.* Primi generis sunt filii legitimi, qui in ea bonorum portione, quae *legitima* vocatur, necessario parentibus succedunt. Filiis vero defunctis, succedunt eorum loco nepotes: quibus deficientibus, succedunt ascendentes; idest uterque parens, vel alteruter, si vivat; ambobusque defunctis, succedit avus tum paternus, tum maternus; hisque deficientibus, succedunt proavi. Quibus, idest descendentibus, et ascendentibus, sublatis, fratres, et sorores, sicut et caeteri consanguinei sunt haeredes secundi generis, idest liberi. Legitima autem, quae debetur haeredibus necessariis, sive descendentibus, haec est ex *Authent. de trient, et semiss.* §. 1. 2., quod si filii plures non sint, quam quatuor, dividenda est inter eos saltem tertia pars haereditatis; quae est etiam legitima ascendentium, vel aeque inter eos dividenda, vel uni totaliter danda, si alter sit mortuus: si vero filii sint plures quatuor, semissis haereditatis in aequales partes dividenda portio erit singulorum legitima. Huic proinde, immo generatim haereditati futurae nequeunt umquam valide renunciare; eorumque renunciationes nullae sunt, nisi vel juramento firmentur, vel in ipso testandi actu renuncient juri successionis; vel

post conditum testamentum, in quo praeteriti sint, praeteritionem sui approbent; vel post debitam partem acceptam reliquo renuncient, nisi tamen bona patris postea augeantur, in quo casu legitimam portionem poterit filius nihilominus exigere: sicut etiam post juratam renunciationem potest tamen succedere in iis bonis, quae Pater ad secundas nuptias transiens relinquere cogitur filiis ex primo Matrimonio susceptis. Atque hic quoque notandum Trid. Decretum irritans donationes, et renunciationes etiam juratas ingredientium Religionem, nisi fiant cum facultate Episcopi, vel ejus Vicarii, idque intra duos menses ante professionem, et professio postea subsequatur (sess. 25. c. 16.). Qui tamen si licite a Religione recedant, recuperant bona cuicumque donata ex motivo ingressus in Religionem. Sub nomine tamen donationum, et renunciationum hujusmodi comprehenduntur quidem renunciationes Beneficii Ecclesiastici, non tamen vel donationes causa mortis, vel Testamenta, cum mens Trid. fuerit, ne per hujusmodi donationes, vel renunciationes imponatur Novitiis necessitas profitendi, quod locum non habet in donationibus causa mortis, ac Testamentis, quippe quae usque ad professionem revocari possunt. Hic quoque proprium est animadvertere, quod generatim omne pactum, omnisque donatio de alterius viventis haereditate ipso jure irrita est; ut pactum ex. gr., quo Titius haereditatem, quam sperat a Sempronio, promittit, aut obligat Cajo; quia tales pactiones odiosae sunt, ac periculis plenae: ob insidias, quae parari possunt vitae illius, super cujus bonis fit pactio. Hinc

excipitur 1.°, si consentiat is, de cujus haereditate agitur, et in eo consensu usque ad mortem perseveret. 2.° si renunciatio fiat in favorem Communitatis, vel Collegii. 3.° si quis ob Ordinis Constitutiones obligetur ad renunciandum bonis omnibus sive acquisitis, sive acquirendis in favorem pauperum, vel alterius piae causae. 4.° si pactum sit circa haereditatem personae incertae, ut, ex. gr., *si quae mihi haereditas obvenerit, dum vixero, tua esto*: quia in cunctis praedictis casibus cessat praesumptio, vel periculum insidiarum (Lig. l. 3. n. 932., 933., et 934.).

376. Quamvis tamen descendentes, hisque deficientibus, ascendentes sint haeredes necessarii, ex justis causis possunt nihilominus exhaeredari. Et quidem filius exhaeredari potest 1.°, si contumeliose Parentem tractet, vel in ipsum manus injiciat, velitve eum occidere. 2.° si contra ipsum in causa criminali agat, modo non sit haeresis, vel laesae Majestatis. 3.° si rem habeat cum uxore, vel unica concubina Patris. 4.° si nolit fidejubere, ut Patrem a carcere liberet. 5.° si ipsum testari prohibuerit. 6.° si filia, recusato justo matrimonio, meretricio more vivat; non tamen si nubat contra Parentum voluntatem. Eo autem exhaeredato, nequit etiam alimentis privari, si aliunde non habeat: debetque causa exhaeredationis in testamento inseri, ac legitime probari. Et sic etiam filii possunt, Parentes exhaeredare ob similes causas, quae videri possunt, ap. Salm. (Lig. l. 3. n. 948., et 949.).

377. Cum desunt autem haeredes necessarii, tam descendentes nempe, quam ascendentes, decet quidem, ut instituantur haeredes consanguinei collate-

rales : potest nihilominus testator haeredem instituere quemvis extraneum, illis praetermissis, modo non sint in necessitate, nec adsit scandalum. Quod si isti graviter indigeant, sintque ejus fratres, vel sorores, sub gravi tenetur ex Lig. illis relinquere saltem quantum satis est ad sublevandam eorum indigentiam, tum ex generali charitatis praecepto prius subveniendi pauperibus conjunctis, ac deinde extraneis, tum ex speciali obligatione pietatis, quae ut graviter obligat ad fratres non laedendos, quare ajunt DD., eorum laesionem specialem malitiam habere in Confessione explicandam, sic et graviter obligat ad eis subveniendum in gravi necessitate prae omnibus aliis pauperibus, sive operibus piis. Quoad alios consanguineos vero, grave quidem non est, alios ipsis praeferre in gravi necessitate : est tamen veniale, cum etiam erga ipsos adsit aliqua, licet non ita stricta, obligatio pietatis (l. 3. n. 946.). Filii vero illegitimi, si qui habeantur, nec etiam sunt haeredes necessarii; tamen vel sunt naturales, vel spurii. Naturales dicuntur *nati ex parentibus nullo impedimento dirimente irretitis, saltem tempore nativitatis.* Spurii vero *ii, qui nati fuerint ex parentibus, inter quos non poterat contrahi matrimonium nec conceptionis, nec nativitatis tempore.* Porro sive naturales sint, sive spurii, jus habent, ut alimenta a parentibus accipiant, in quo jus Canonicum in C. *Cum haberet de eo, qui duxit etc.* merito correxit Jus Civile in *Auth. Ex complexu C. de incest. Nupt.*, ubi vetitum erat spuriis etiam alimenta praebere. Quoad successionem vero, si pater legitimis careat, possunt filii naturales

in omnibus patri succedere ex *Auth. Licet C. de Natur. lib.* Quod si ei sint legitimi, nequit relinquere naturalibus, nisi duodecimam partem bonorum. Si vero absque legitimis, et absque uxore decedat, filii naturales ab intestato succedunt patri in sextam partem haereditatis dividendam cum matre: huic vero succedunt aeque ac legitimi et ex testamento, et ab intestato. Spurii tamen praeter alimenta nihil omnino possunt a Patre ex quocumque titulo vel accipere, vel retinere neque inter vivos, neque ex testamento, neque ab intestato; et si quid acceperint, tenentur, ait Lig., in conscientia id restituere haeredibus Patris, ex *Novella* 89. *C.* 6. *tit. Quib. mod. nat. fil.*, ubi dicitur: *Nulla eis participanda clementia est, sed sit supplicium etiam hoc Patrum, ut agnoscant eos nihil habituros* (n. 951.). Utque addit n. sequ., haeredibus quoque ab intestato deberentur bona, quorum quis institutus fuerit haeres, cum pacto, ut deinde filio spurio testatoris, accepta cedat: non enim spurio illa posset tradere, quia contra legem; nec sibi retinere, quia contra testatoris voluntatem. Cum tamen in textu cit. de solis Patribus sermo fiat, probabiliter spurius potest retinere ea, quae Mater illi reliquerit.

378. Praeter spurios tamen nequeunt quoque haeredes institui, sed ab haereditatibus excluduntur qui testatorem occiderint; qui ei prohibuerint testari, aut testamentum revocare; qui cum haeres esset, curam non habuerit testatoris mente capti, aut captivum, cum posset, non redemerit; ac qui uxorem testatoris carnaliter cognoverit. Praeterea apostatae, haere-

tici, eorumque fautores post latam sententiam ex *Auth. credentes c. de haeret.*: civitas hostium, communitas Judaeorum, damnatus vel ad mortem naturalem, vel civilem, utpote incapax dominii ex l. 17. *ff. de poenis*: ac demum qui scripserunt testamentum, tutores pupillorum, medicus sui aegroti, Judex sui clientis, magister sui disciputi, concubina sui amasii, communitas religiosa sui novitii.

379. Hactenus de haeredibus ex testamento, sive necessariis, sive liberis; utriusque enim generis haeredes succedunt ab intestato hoc ordine, scilicet 1.° filii legitimi, et his vita functis, nepotes 2.° in descendentium defectu ascendentes, pater nempe, et mater defuncti, et post illos avus, et avia: 3.° his quoque deficientibus, fratres, et sorores ex utraque parte conjuncti, exclusis iis, qui ex solo patre, vel sola matre conjuncti sint. 4. Si ex fratribus, vel sororibus utrinque conjunctis, unus mortuus liberos reliquerit, succedunt hi loco parentis sui non in capita, sed in stirpes. Quod si fratres, et sorores mortui sint, succedunt eorum filii, non in stirpes, sed in capita, quia non suorum parentum loco, sed jure propriae conjunctionis succedunt: 5.° Aliis proximioribus deficientibus, succedunt fratres, et sorores ex eodem tantum patre, vel matre geniti; et quidem geniti ex eodem patre in bona ab ipso provenientia, in reliquis aequaliter omnes: 6.° his quoque, eorumque filiis deficientibus, succedunt propinqui collaterales usque ad decimum gradum, singuli in capita, et nulla habita ratione, an ex altera parte, an ex utraque sint conjuncti. Tandem succe-

dit uxor: qua mortua, succedit fiscus saecularis quoad laicos, fiscus Ecclesiasticus quoad Clericos. Uxor tamen inops succedit cum mariti haeredibus, sive descendentibus, sive ascendentibus, sive collateralibus; ita ut si sint plures, quam tres, in portionem virilem; si pauciores, in quartam bonorum partem: et si cum liberis concurrat, tantum usumfructum; si cum aliis, quartam pleno jure capiat. Sic maritus inops in bonis uxoris divitis.

380. Sive autem sint ex testamento, sive ab intestato, non aliter ad quoscumque haeredes transit haereditas, nisi cum suis oneribus: ita tamen, ut haeres supra haereditatis vires non obligetur, et deductis sumptibus funeris, solutoque aere alieno, saltem quartam partem haereditatis obtineat ex lege, quae vocatur *Falcidia* in legatis, et donationibus mortis causa; *Trebellianica* in fidei commissis; cujus beneficio potest haeres, si ex haereditate illa quarta pars non supersit, eam detrahere legatis, non tamen piis. Ut tamen beneficio hujusmodi fruatur, tenetur conficere inventarium intra 60 saltem dies, nisi a testatore liberatus fuerit ab hoc onere. Nec praetermittendum est ex Lig., quod vidua ad secundas nuptias transiens debet primi matrimonii filiis reservare quidquid a primo viro accepit sive ex donatione, sive ex testamento, ex *Auth. Ex testam*, et *Auth. In donat. C. de secund. nupt.* Quod tamen intelligendum, si id acceperit titulo lucrativo, secus si oneroso, vel si ab extraneo acceperit. Quod et dicendum de viro, qui aliam ducat uxorem (l. 3. n. 355.). Sicut etiam, quod licet de jure antiquo, cum filii succedebant pa-

tri ab intestato, tunc tantum facienda ab iis erat inter fratres collatio bonorum a parente defuncto provenientium; de jure tamen novo ex *Auth. de trient., et sem.* §. *Illud* tenentur semper filii conferre bona a Patre obtenta, nisi Pater expresse eos a collatione exemerit; vel nisi aliquis eorum nolit habere cum aliis portionem, contentus iis, quae in vita de bonis defuncti habuit. Poterit tamen petere id, quod a Patre in dotem, vel causa matrimonii, aut simili ei fuerat promissum, nisi promissione illa aliorum legitima laesa fuerit; (ex l. penult., et ult. *ff. de Coll.*): qua super re consulantur dicta n. 300.

381. Huc quoque spectat sermo de legatis. Et 1.° si horum aliquod relictum fuerit personae determinatae, ut nubat, debetur ei, etsi Religionem ingrediatur, nisi aliter de mente Testatoris constet, ex *Auth. De Sanctiss. Episc.* §. *Et hoc*: non ita tamen, si relictum fuerit personis indeterminatis ad nubendum; quia mens Testatoris servanda est in specifica forma, semper ac servari potest; nec recurrendum ad ejus voluntatem praesumptam, cum habetur voluntas contraria expressa, puellis scilicet nubere volentibus providendi. Adest quidem sententia huic opposita, quam Lig. reprobare non audet: cum enim in dicta Auth. assignetur ratio, cur legatum relictum personae determinatae ad nubendum debeatur ei, etiamsi Religionem ingrediatur, ne scilicet puella relinquat statum Religiosum, ut consequatur legatum; eademque ratio urgeat, cum legatum relictum fuerit personis indeterminatis ad eumdem nubendi finem; eadem proinde militare debet juris dispositio ex dictis lib.

1. n. 101. Subdit tamen, quod oppositum videtur certe probabilius, maxime cum adsit tertii praejudicium (l. 3. n. 930.). Legatum quoque relictum puellae, ut maneat virgo, eidem etiam debetur, si nubat, sic enim statutum est in *l. Quoties*, 22. *ff. de condit.*, *et demonstr.*, quia ut habetur ex alia *l.* 2. *c. de Induct.*, multum interest Reipublicae, ut proles augeantur. Secus tamen dicendum, si legatum relictum fuerit viduae ad viduitatem servandam ex Auth. *Cui relictum C. tit. cit.*, quia honestum est a secundis nuptiis abstinere. Legatum autem relictum puellae sub conditione, ut nubat cum aliquo, non debetur ei, si cum alio nubat, ex *l. Titio* §. 1. *ff. de cond.*, *et Dem.*, cum enim libere possit tales nuptias acceptare, vel respuere, non laeditur per illud libertas ad matrimonium requisita. Debetur tamen, si alioqui a patre privaretur legitima ei debita, vel si ei proponetur nubere cum indigno, ex *l. Cum ita*, §. *videamus ff. eod. tit.*, quia tunc conditio rejicitur tamquam turpis. Legatum item pro Ecclesiae fabrica relictum impendi etiam potest in alia ad Divinum cultum necessaria, nisi aliud de mente Testatoris constet, quia nomine fabricae intelliguntur omnia necessaria ad servitium Ecclesiae.

382. Quomodo autem executioni mandanda sint legata incerta, distinguendum est: Vel incertitudo versatur quoad personas, quibus res legata fuerit, quia ex. gr. ejusdem nominis, etc.: et in hoc casu de jure quidem Civili legatum corruit; in foro tamen conscientiae debet legatum inter eos aequaliter dividi. Quod si legatum sit ad pias causas, non perit ob

loci incertitudinem, sed pauperiori Ecclesiae, vel Xenodochio dandum est. Si vero incertitudo versatur quoad rem legatam: et in hoc casu, si res legata terminos a natura habeat, ut bos, vel equus, etc., danda est una ex mediocribus; si ab arte, et industria, ut domus, vel vestis, electio pertinet ad haeredem, qui rem in eo genere minimam dando, satisfacit; idemque dicendum de legatis numero, pondere, vel mensura constantibus. Lig. l. 3. n. 938.

383. Quo demum tempore implenda sint, communiter DD. inquiunt, quod etsi in foro externo post aditam haereditatem, confectumque inventarium legata non pia impleri debeant intra annum, et legata pia intra sex menses: in foro tamen conscientiae et haeredes, et executores testamenti tenentur sub gravi statim illa implere, et maxime pia, si possint; sique multum differant absque justa causa, tenentur quoque damnum, quod alii ipsorum culpa acceperint, compensare. Ad id autem exequendum nequit Executor particularis vendere bona defuncti, nisi hic ita statuerit: universalis autem potest. Nec potest invito haerede, rem legatam dare legatario; quia non potest, nisi per Judicem, haeredem sua possessione spoliare, licet teneatur monere Episcopum, ut haeredem cogat. Quod si bona non sufficiant ad legata omnia solvenda, sunt aeque omnibus pro rata distribuenda, etiamsi sint pia, et licet uni res certa, et in individuo sit legata; nec licet uni prae aliis gratificari, quia par omnium est ratio, et jus (n. 941.).

TRACTATUS VIII.

DE OCTAVO DECALOGI PRAECEPTO.

Cum hoc praecepto prohibeatur honorem, vel famam proximi laedere per temerariam suspicionem, per temerarium judicium, per contumeliam, calumniam, detractionem, vel etiam per rei secretae injustam revelationem: de his proinde pro institutionum ratione agendum in hoc tractatu suscipimus. Sit igitur.

CAPUT UNICUM.

De suspicione temeraria, ac de judicio temerario, nec non de contumelia, calumnia, detractione, secretique revelatione.

384. Definitur suspicio temeraria, ac judicium temerarium *suspicio prava, vel judicium pravum de proximo absque sufficienti fundamento*. Suspicio autem est *assensio animi cum formidine de opposito*: judicium vero *firma animi assensio*. Quibus positis, suspicio temeraria regulariter non est, nisi venialis, cum regulariter procedat ex errore intellectus, quo indicia sic suspicandi, ut sufficientia, apprehenduntur: cui accedit, quod simplici suspicione non deturbatur proximus totaliter de possessione bonae famae. Potest tamen pertingere ad grave, ac maxime si esset contra piam personam de peccatis gravissimis: quare inter gravia crimina numerat quoque Ap. ep. 1. ad Tim.

cap.6. *suspiciones malas.* Immo ipsum quoque judicium temerarium ut plurimum est veniale vel ob levitatem materiae, vel ob defectum advertentiae, vel quia magna adest probabilitas ad illud ferendum; quae ut plurimum eveniunt, ubi non intercedat invidia, vel mala erga alterum animi affectio. Cum autem de gravi malo proximi absque gravi ratione vere judicatur, proculdubio peccatur lethaliter; unusquisque enim jus habet ad bonum nomen, et famam; nec potest, vel debet malus judicari absque gravi motivo, quin ei gravis injuria irrogetur. Hinc ait Christus: *Nolite judicare, et non judicabimini; nolite condemnare, et non condemnabimini* (Luc. 6.). Quod et habetur Matth. 7., et Jac. 4. Opus tamen non est ex Lig. explicare in Confessione speciem mali, de quo temere judicatum fuerit, cum quodvis eorum sit adversus jus, quod habet proximus ad bonum nomen, et famam, ideoque unius, ejusdemque speciei (l. 3. n. 962.).

385. Graviora tamen sunt et contumelia, et calumnia, et detractio. Definitur enim contumelia *alieni honoris injusta, et aperta laesio*, proximo scilicet facta, ipso praesente. Calumnia *falsi criminis, vel defectus impositio.* Detractio *injusta, et occulta famae alienae denigratio.* Et quoad 1.^{m}, cuncta convicia gravem proximo injuriam irrogantia per se esse mortalia, nisi excuset circumstantia personae, vel inadvertentiae, vel animi nolentis graviter laedere, constat ex illis Christi verbis: *Qui dixerit fratri suo Raca, reus erit Concilio. Qui autem dixerit Fatue, reus erit gehennae ignis* (Matth. 5.) Explicant namque Interpretes apud Alapide, verbum *Raca* signifi-

care hominem sputo dignum; illudque proferentem dici rerum Concilio, quia in Concilio gravia tantum crimina referebantur. Sub verbo autem *Fatue* intelliguntur cuncta alia convicia gravem injuriam irrogantia: quae cum efficiant proferentem gehennae reum, mortalia proinde esse ex genere suo, consequens est. Contumeliam vero accipientes tenentur eam patienter tolerare, animoque eam ulciscendi per actum contrarium resistere. Quandoque tamen, ut Lig. advertit, eam quoque expedit repellere, cum nempe tolerantia praevideretur adscribi obsistendi impotentiae, aut stultitiae: vel obesse posset bono communi, prout si Praelatus tolerando redderetur contemptibilis, et sic petulantia subditorum augeretur (l. 3. n. 966.). Inferentes vero contumeliam tenentur proximo restituere honorem illi ablatum per contumeliam; idque coram illis, qui ejus dehonorationi praesentes fuerint, ex Christi praecepto: *Si offers munus tuum ad Altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, vade prius reconciliari fratri tuo* (Matth. 5.) Advertit tamen idem Lig., quod petitio veniae non est necessaria, nisi quando aliter satisfieri nequeat: puta si subditus dehonoraverit Superiorem, vel plebejus nobilem alapa percusserit; quibus in casibus ultra petitionem veniae teneretur offensor illam petere flexis genibus, vel aliam similem humiliationem ostendere: sicut etiam Confessarium posse non exigere honoris satisfactionem, 1.° si poenitens sit quoad hoc in bona fide, et praevideat monitionem non profuturam, ex dictis n. 62.: experientia enim constat, quod poenitentes facile tales satisfa-

ctiones promittunt, sed ob ruborem raro illas exequuntur: 2.° si probabiliter putet, dehonoratum magis recusare, quam cupere publicam illam satisfactionem, ne apud alios redeat memoria acceptae injuriae, vel magis erubescat; in quo casu procurandum est honorare offensum peculiaribus actionibus, in quibus aptius contineatur veniae petitio: 3.° si adsit probabile periculum, quod actu satisfactionis odia inter offensum, et offensorem renoventur: 4.° si ex manifestis indiciis constet, nullam amplius offensum satisfactionem quaerere, quia offensam remisit.

386. Quoad calumniam vero, ac detractionem, quod illa sit ex genere suo grave peccatum, et adeo proximum laedat, ut quemadmodum dicitur Eccl. 7.: *Calumnia conturbat sapientem, et perdet robur cordis illius*, notius est, quam ut probatione egeat. Cumque detractione sit gravior, quia haec revelat crimen revera a proximo commissum, ac tantum occultum, calumnia vero illi crimen falsum impingit: hinc si de detractione dicitur Prov. 4.: *Remove a te os pravum, et detrahentia labia sint procul a te.* Et Jac. 4.: *Nolite detrahere alterutrum. Qui detrahit fratri, detrahit legi, et judicat legem.* Et 1. ad Cor. 6.: *Neque fures, neque maledici Regnum Dei possidebunt*: quanto magis idem de calumnia dicendum? Ipsamet igitur detractio est ex genere suo mortalis: revelare enim grave alterius crimen sine justa causa, etsi sine animo laedendi, non solum est contra charitatem ex generali regula: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*; sed etiam contra justitiam, jus namque habet unusquisque, ne violetur ipsius fa-

ma, prout fit, cum occulta ejus peccata absque justa causa revelantur.

387. Hinc autem sequitur, quod detractio excusatur a peccato, 1.° cum fit ad vitandum grave damnum vel proprium, vel aliorum, etsi in bonis fortunae: tunc enim quisque licite detegit proximi peccatum, modo non intendat illum infamare, sed damnum proprium, vel alienum vitare; satisque est, ex Lig., ut damnum vitandum sit grave, quamvis majus damnum illi, cujus peccatum revelatur, immineat; secus tamen, si damnum vitandum esset leve, vel longe minus. Quod si dubitetur, an damnum sibi, vel aliis imminens sit grave, bene etiam licet, ex generali principio, quod in pari causa melior est conditio innocentis. Quae tamen omnia intelligenda sunt, modo aliter nequeat damnum vitari; et modo nec amplius, nec pluribus crimen manifestetur, quam ad reparandum imminens damnum oporteat. Sicut etiam excipiendum est, si alterius crimen injuste cognitum fuerit per vim, vel fraudem, ut ex. gr. aperiendo literas, etc.: notitia enim illa injuste accepta ob quodcumque damnum effugiendum uti non licet, quia injuria proximo illata omnia damna propter illam proximo secutura ad restituendum obligat: ac solum id liceret, si licuisset vim illam, aut fraudem adhibere vel ob bonum commune; vel quia is, cui vis illa, aut fraus facta fuit, tenebatur ex justitia secretum revelare; vel injuste vexabat, nec ejus vexatio poterat aliter propulsari (l. 3. n. 968., et 969.). 2.° excusatur quoque detractio a peccato saltem gravi, cum proximi crimen est notorium notorietate vel juris, vel facti, vel famae:

per notorietatem namque hujusmodi amisit proximus jus, quod ad famam habebat. Non ergo violatur ullum ejus jus, revelando crimen, ideoque non peccatur contra justitiam. Cumque charitas obliget, ut proximo velimus, quod rationabiliter volumus nobismetipsis; nobisque ipsis velle non possumus rationabiliter, quod alii non loquantur male de nobis, cum de crimine patrato vel juridice constaverit, vel publice, et absque ulla cautione deliquerimus: hinc probabilius censet Lig., non esse grave, nec contra justitiam, nec contra charitatem crimen in aliquo loco publicum manifestare in alio, ubi ejus notitia nec pervenerit, nec intra breve tempus perventura sit (n. 974.). Ac 3.° potest quoque detractio a mortali excusari, non solum ex parvitate materiae, vel ex indeliberatione, verum etiam vel quia facta verbis generalibus, hunc, vel illum ex gr. esse iracundum, superbum, etc., quia id plerumque audientes interpretantur de naturali propensione, et defectu involuntario, nec proinde grave damnum famae inde irrogatur, etsi hoc modo facta gravis quoque esse possit: vel quia ob conditionem personae peccatum, quod refertur, notabiliter non laedit illius famam, ut si dicatur de milite concubinam habere vel, pugnasse in duello; de adolescente esse prodigum, vel deditum amoribus: vel demum quia proximi crimen revelatur tantum uni, vel alteri viro probo, ut satis probabile Lig. censet, nisi fiat ex pravo animo nocendi, ac nisi ille sit aliis manifestaturus; quia cum fama consistat in communi aestimatione hominum, famam revera non amittit, qui apud unum, vel alterum tantum detrahitur (n. 973.).

388. Ex eo autem, quod calumnia, et detractio sunt non solum contra charitatem, sed etiam contra justitiam, sequitur, quod utraque obligat ad restitutionem; ut enim dicitur c. ult. *de injur.*: *Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata, jure super his satisfacere te oportet.* Sicut igitur ob contumeliam debetur honoris reparatio, ita ob calumniam, ac detractionem debetur famae restitutio. Et quidem ob calumniam tenetur calumniator aperte se retractare, adhibito etiam, si opus sit, juramento. Immo et ob detractionem tenetur quoque detractor dicere, si opus sit, *falsum dixisse*, *errasse*, *mentitum fuisse*, cum hujusmodi dicendi formulae, ut Lig. disserit l. 3. n. 992:, non sint mendacia, sed amphibologiae, ut D. Th. docet, ubi ait: *Ipsa peccata falsitates dicuntur in Scripturis, ut in Ps.* 82.: *Ut quid diligitis vanitatem, et quaeritis mendacium? Et Jer.* 8.: *A Propheta usque ad Sacerdotem omnes faciunt mendacium. Et Prov.* 10.: *Errant, qui operantur malum.* Aeque igitur qui detraxit potest revera asserere, falsum dixisse, errasse, mentitum fuisse. Qua super re docet D. Franciscus Salesius, non esse ad id necessarium, quod detractor expresse dicat: *Falsum locutus sum, quando dixi etc.*; sed sufficit dicere rem contrariam illi, quam detrahendo asseruit, quasi oblitus detractionis factae, et quasi laudans personam a se infamatam. Id autem in praxi utilissime suadetur, tum quia facile hoc agunt poenitentes: tum quia si pristina detractio apud audientes in oblivionem ierit, non reviviscit: tum quia nulla retractanti infamia paritur, solent enim homines di-

versis temporibus diverso modo de aliis loqui. Quod tamen proximi fama *omni possibili modo reparanda sit*, ut ait D. Th. l. cit., certum est: et quidem, ut addit Lig. n. 991. si detrahens famam abstulerit apud auditores, quos rationabiliter putabat non revelaturos, non tenetur restitutionem facere apud auditores mediatos, quia cum non praeviderit damnum, nec etiam tenetur illud reparare. Secus, si praeviderit alios facile evulgaturos; quamvis enim ad nihil teneatur, si ejus auditores se apud alios retractent, si tamen illi id facere negligunt, tenetur ipse damnum reparare quantum est moraliter possibile: ut si incendisset segetem inimici sui, praevidens ignem facile se extensurum ad segetes finitimas, teneretur ad totum damnum, cum quisque teneatur ad totum damnum, quod alteri provenit ex sua injuria, semper ac illud fuerit praevisum. Immo non solum tam calumniator, quam detractor tenetur famam ablatam modo, quo dictum est, restituere, sed et damnum inde secutum, ut etiam ostendunt verba superius relata: *Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata, jure super his satisfacere te oportet.* Ad quod tamen, ut idem Lig. docet, omnino requiritur ipsius damni praevisio, saltem in confuso; secus namque adfuit damnum, sed non injuria, quae ambo simul requiruntur ad obligationem restitutionis ex dictis n. 272., et 280. Quodque dictum est de simplici detractione, multo magis dicendum est de detractione per libellum infamatorium, per scripturam nempe occultum alterius crimen publicantem, vel per aliquod signum infamatorium appositum januae alicujus ad illum publice

infamandum: contra quos adest quoque excommunicatio ferendae sententiae ex C. *Qui alterius* 5. *q.* 11.; latae vero, si libellus sit contra Papam, vel aliquem ex Cardinalibus; etiamque reservata, si libellus sit contra Statum Ordinum Minorum, vel Praedicatorum, vel aliorum communicantium, non vero si contra Religiosum particularem.

389. Ablata vero sive per detractionem, sive per calumniam fama, excusat ab ejus restitutione, si haec fieri nequeat absque vitae periculo, nisi alter tamen ob crimen de illo revelatum conjectus fuerit in idem periculum. Quod si ablata fuerit per detractionem, excusat insuper ab ejus restitutione 1.°, si crimen revelatum ex occulto factum fuerit alia ratione publicum: 2.° si infamatus jam famam recuperaverit vitae probitate, aliorumve testimonio: 3.° si crimen verum, de quo alter infamatus fuit, prudenter judicetur oblivioni traditum: 4.° ex Lig., si desit moralis certitudo, quod detractor fidem obtinuerit apud auditores; alias ex regula generali nullum damnum dubium est de necessitate restituendum. Nec raro accidit, quod detractionibus fides non praestetur; maxime si detractor loquatur ex ira, vel alia passione, et detractio testimoniis aliorum, aut aliter non firmetur. Additque, quod cum retractatio ex se infamiam afferat retractanti, hinc cum dubitatur de infamationis oblivione, nec etiam videtur quis teneri damnum certum pati ad reparandum damnum incertum proximi: licet enim injuria irrogata sit certa, et ideo possideat, attamen quia restitutio non debetur ob solam injuriam, sed ob damnum vere illatum,

non videtur adesse obligatio resarciendi damnum dubium cum damno certo restituentis, nisi quando solum periculum infamiae alterius in aliquo casu magis aestimaretur, quam infamia certa detractoris (l. 3. n. 998.). Ex quibus postremis verbis sequitur, quod cum fama restituenda esset quid minimum respectu famae detractoris, nec etiam obligatio illam restituendi adesset, sed sufficeret famam ablatam laudibus, vel alio modo compensare.

390. Quod si detractor famam detracto non restituat; etsi huic non liceat ad proprium honorem defendendum illi falsum crimen impingere, ut ajebat prop. damnata ab Inn. X.: *Probabile est, non peccare mortaliter qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, et honorem defendat*; nec famam illi auferre per veri criminis revelationem, cum haec non esset compensatio, sed vindicta, nec fama propria repararetur per infamiam alterius: potest nihilominus omittere restitutionem famae, quam forte detractori abstulerit, donec iste ablatam illi restituat; tum quia licite omittitur restitutio, cum adest justa omittendi causa, cujusmodi est servandi se indemnem, retinendo famam alterius, donec ille famam sibi restituat; tum quia est regula generalis, quod nemo obligatur jus restituere alteri, qui sibi jus renuit restituere. Nec detractor demum impotens ad famam aliter restituendam tenetur illam pecunia restituere, ex dictis n. 271.: nec detractus potest famam sibi ablatam pecunia compensare, ex dictis n. 257. Sicut etiam nemo potest vel se infamare, vel famae restitutionem remittere, cum infamia vel redundaret in alios, vel

inde sequeretur scandalum, vel cum ipse sit valde utilis Reipublicae, ex ejus infamia Reipublicae bonum impediretur, vel cum ejus fama esset necessaria ad suum munus exequendum; in quibus casibus et se infamare, et famae restitutionem remittere esset mortale; secus veniale (Lig. n. 999., et 1003.).

391. Superest modo videamus, an, et quomodo peccet detrahentem audiens? Ad quod respondetur, quod qui inducit alterum ad detrahendum in materia gravi, certe peccat graviter, et quidem aeque ac detrahens non solum contra charitatem, sed etiam contra justitiam. Qui autem non inducit, sed tantum gaudet de detractione gravi, peccat quidem graviter juxta communiorem, non tamen contra justitiam, sed tantum contra charitatem, cum de gravi damno proximi delectetur. Non improbat tamen Lig. sententiam Ronc., Less., Salm., etc., quod non peccat graviter, etsi de ipsa detractione delectetur, non causa odii, vel gaudii de alterius damno, sed ex curiositate, seu vanitate; idque deducunt ex D. Th., qui 2. 2. *qu.* 73. *a.* 4., tunc tantum docet id esse grave, quando *placeat ei detractio propter odium ejus, cui detrahitur.* Subjungens, quod Superior tam detrahentis, quam detracti peccat graviter, dumtaxat tamen contra charitatem, non contra justitiam, audiendo detractionem, nec eam avertendo, cum commode possit; quia ipsi specialis obligatio incumbit corrigendi detrahentem, si nempe sit Superior detrahentis, aut damno infamati obviandi, si nempe sit Superior detracti (l. 3. n. 980.). An autem persona particularis peccet graviter, si tantum detractionem, cum

commode posset, non avertit, quin scilicet de ea delectetur, absolute censent Salm., cumque iis Lig. n. sequ., dicendum esse, privatam personam nonnisi venialiter peccare, si ex verecundia, timore, vel negligentia detractioni non resistat, etiam cum commode posset, modo praeter infamiam aliud damnum proximo non obveniat; sic namque hac super re D. Th. scripsit: *Si vero non placet ei peccatum, sed ex timore, vel negligentia, vel verecundia quadam omittat repellere detrahentem, peccat quidem, sed multo minus, quam detrahens, et plerumque venialiter* (l. cit.). Addit autem S. D. *plerumque*, ut notant Salm., quia docet postea in tribus casibus peccare graviter: 1.° si esset Superior: 2.° si aliud damnum proximo immineret: 3.° si ipse ob timorem ultimum finem in creatura constitueret. Nec omittenda est, praecisis his casibus, alia D. Th. doctrina 2. 2. *qu.* 33. *art.* 1. *ad* 3., ubi docet, excusari a mortali, qui ob timorem omittit facere correctionem, modo ei non constet, quod correctio sit profutura. Cumque in hac materia detractionis difficillime id constare possit, et aliunde facillime offendantur detrahentes coram aliis correpti, augeantque potius, quam revocent detractionem: ex omnibus his simul congestis concludit Lig., rationabiliter sustineri posse communissimam sententiam, quae universe excusat audientes a mortali, si correctionem omittant. Subjungens, quod excusantur etiam a veniali, si vel discedant, vel sermonem divertant, vel faciem aut avertant, aut tristem ostendant, cum omnia haec sint verae correctiones, ex illis Proverbis c. 25.: *Dissipat facies tristis linguam detrahen-*

tem. His addi potest 1.°, quod audiens praesumere potest publicum id, quod dicitur, cum saepe contingat id, quod ad propriam notitiam nondum venit, jam apud alios esse publicum, et in dubio non est detrahens condemnandus: 2.° quod id, quod detractor dicit, poterit deinde ipse audiens falsum ostendere, ac malum reparare: 3.° quod incoepta semel detractione, melius quandoque consulitur proximo, non impediendo detractionem, quam illam impediendo, eo quod gravioris culpae suspicio audientium animis ingeratur: 4.° quod detrahens saepe justam habet id, quod revelat, revelandi causam; et etiamsi non habeat, quia, ut diximus, offensum se credit, si quis sibi obsistat, hinc detractionis peccato, a quo etiam monitus non abstinet, aliud irae, et odii contra monitorem adjungit. Quibus additis, magis, magisque confirmatur, quod supra docuimus; et quam recte scripserit Lugo, obligationem impediendi sub peccato gravi detractionem *raram esse inter aequales, rarissimam in inferiori respectu personae superioris.*

392. Quoad injustam denique rei secretae revelationem, triplex, advertendum est, distingui secretum. *Naturale* scilicet; estque *secretum obligans ad non revelandam rem, quae casu innotuerit, et ex cujus manifestatione graviter alter laederetur in fama, vel in bonis.* Nemo tamen tenetur illud servare cum mortis periculo, nisi damnum alias imminens sit commune, et grave. *Promissum*, quod definitione non eget; quodque obligat juxta intentionem promittentis ex dictis ubi de promissione n. 297.; non tamen cum adest obligatio illud revelandi; ideoque Judici

legitime interroganti revelandum est alterius crimen, etsi praecesserit promissio non revelandi. *Commissum*, quod nec etiam definitione eget; idque vel expresse, vel tacite, prout Medicis, Advocatis, Obstetricibus, Theologis consultis. Hujus autem generis secretum strictius obligat, detegi enim nequit nec etiam Judici legitime interroganti, cui proinde interrogatus respondere potest, nihil scire, scilicet ad revelandum; quia Judex nequit abrogare jus naturale, ex quo servandum est secretum commissum, nisi alia ex via res sit cognita, aut justa causa adsit illud revelandi. Haec vero esse potest 1.° praesumptus consensus principalis. 2.° parvitas rei sub secreto commissa, vel si aliunde res sit cognita, vel publicata. 3.° si secretum vergeret in damnum commune, vel innocentis, vel ipsius committentis, vel etiam proprium; nemo enim praesumitur ad secretum servandum se voluisse obligare cum gravi suo incommodo; idque etiamsi alteri immineret mortis periculum, modo secretum sine vi, aut fraude exceperit. Quae ex Lig. l. 3. n. 971.

393. Nihil autem hic loci diximus de simplici mendacio, quod etiam hoc Decalogi praecepto prohibetur, utpote quod, cum tantum est jocosum, vel officiosum, non autem alteri noxium, est tantum veniale. Cavendum proinde etiam est: nec solum jure Divino prohibetur, ut constat et ex Lev. 19., ubi praecipitur: *Non mentiemini*: et ex Eccl. 7., ubi dicitur: *Noli velle mentiri omne mendacium*: et ex Ap. ad Coloss. 3., ubi: *Nolite mentiri invicem*: sed etiam jure naturali, pervertit enim naturae ordinem,

quae locutionem instituit, ut possint homines sibi invicem sensus communicare. Cui accedit, quod finis vitae socialis everteretur, si liceret aliud verbis exprimere, aliud mente celare. Nihil etiam dicimus de nono, et decimo Decalogi praecepto: *Non concupisces domum proximi tui*, *nec desiderabis uxorem ejus* (Ex. 20.). De appetitu enim immoderato divitiarum satis dictum est ubi de septimo praecepto; sicut et de desiderio uxoris alienae, ubi de sexto egimus; quibus opportunius quaedam adjicientur in tractatu de peccatis.

TRACTATUS IX.

DE PRAECEPTIS ECCLESIAE.

Post praecepta Decalogi agendum esset de quinque Ecclesiae praeceptis. Ex quibus tamen, quia de Sacri auditione in diebus Dominicis, ac festivis satis egimus ubi de tertio praecepto Decalogi; de annua Confessione, et perceptione Eucharistiae tempore Paschali opportunius sermo fiet ubi de Sacramentis Poenitentiae, et Eucharistiae; de solutione demum Decimarum egimus quoque n. 163.: hic tantum proinde agemus de praecepto Ecclesiastici jejunii. Sit ergo.

CAPUT UNICUM.

De praecepto Jejunii Ecclesiastici.

394. Tria sunt, quae ab hoc praecipiuntur: suntque unica comestio; abstinentia a carnibus, ovis,

et lacticiniis; et hora refectionis. Et quoad 1.m, non licet sine peccato, et quidem gravi ex genere suo, pluries, quam semel, comedere in diebus jejunii. Quoties autem peccet, qui comedat pluries, videtur quidem dicendum, toties peccare, quoties comedit; quia enim unicae comestionis praeceptum est negans, non enim praecipitur, ut semel comedatur, sed ne comedatur plus, quam semel, quoties proinde comeditur, toties violatur, utpote obligans *semper, et pro semper*. Probabilius tamen censet Lig., quod soluto jejunio per secundam comestionem, non amplius peccatur graviter iterum comedendo; quia cum jejunii essentia consistat in unica comestione, ut clare docet D. Th., ubi ait: *Ecclesiae moderamine statutum est, ut semel in die a jejunantibus comedatur* (2. 2. *qu.* 157. *art.* 6.); hinc destructa per secundam comestionem jejunii essentia, cessat praeceptum. Quod tamen, subdit, non est aeque probabile, si agatur de eo, qui inculpabiliter secunda vice comedit: quia is, qui jejunium inadvertenter fregit, materialiter tantum illud fregit, non formaliter; unde cum primum advertit ad jeiunii legem, tenetur illam servare, ne illud formaliter laedat: quodque eodem modo disserendum non est de eo, qui pluries in diebus vetitis carnibus vesceretur, qui proculdubio toties peccaret, quoties carnes sumeret, quia ratio jejunii bene consistere potest cum abstinentia a carnibus, ut videre est in iis, qui ad manducandas carnes legitime dispensantur, quibus tamen forma jejunii praescripta est (l. 3. n. 1030., et sequ.).

395. An autem vel comestionis interruptio, vel

sumptio chocolatis, electuariorum, aliorumque id genus frangant praeceptum unicae comestionis; respondet Lig. quoad 1.m, quod si quis non se refecerit sufficienter, ita nempe, ut refectione sumpta possit jejunium tolerare absque magno incommodo, probabiliter potest ad comedendum redire adhuc post duas horas, ac etiam quantumcumque sit sero; recte enim praesumitur, quod Ecclesia non intendit obligare ad diem transigendum absque refectione sufficienti (n. 1020.). Si vero sufficienter se refecerit, rationabile videtur, non interrumpi unicam comestionem per trientem horae, etsi jejunans decreverit non amplius comedere, et de mensa surrexerit; physice enim loquendo semel comedit, nec intentio contraria, vel quod de mensa surrexerit efficere potest, ut quae physice unica comestio est, non sit unica, sed duplex (n. 1020.). Quoad 2.m, chocolatis scilicet sumptionem, eam non frangere unicae comestionis praeceptum, modo sit unius dumtaxat cyathi, non vero toties quoties libet, docet Lig., tum ob consuetudinem hodie communem, quae negari nequit, ac legi derogavit: tum ob parvitatem materiae, quia in ordinariis cyathis non ingreditur plus chocolatis, quam uncia cum dimidia (n. 1023.). Quoad electuaria vero, vel id genus alia, praemittendum est, electuaria dici ea, quae ex electis rebus, puta saccharo, et junipero, aut cedro conficiuntur, ac vulgo dicuntur *conserve*; non autem intelligi potiones Kaffè, vel The, quae omnino ad libitum permittuntur, ut communiter admittunt DD. De praefatis autem Electuariis sic docet Lig. cum D. Th.: *Electuaria, etiamsi aliquo modo nutriant, non*

principaliter assumuntur ad nutrimentum , sed ad digestionem ciborum : unde non solvunt jejunium , sicut nec aliarum medicinarum assumptio ; nisi forte aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate assumat per modum cibi (2. 2. *qu.* 147. *art.* 6. *ad* 3.). Nec etiam quoad vinum dubitandum est , quod saltem hodie ejus potio non est interdicta etiam extra comestionem ad sedandam sitim, vel digestionem juvandam: tum quia , etiamsi vere nutriat , et ad delectationem sumatur , quia tamen non est ad nutrimentum institutum , non frangit jejunium : tum quia per se habet rationem potus , et non cibi : tum ex cap. *Denique* Dist. 3. , ubi D. Greg. M. ita ait : *Vinum quoque ita bibere permittitur , ut ebrietatem omnino fugiamus.* Quoad aquam vero mixtam saccharo, et succo cinnamomi , vel mali cedrini , vulgo *Limonata* , sive *sorbetto* , docet Lig. quod si cum parva aqua magna harum rerum quantitas misceatur , jejunium frangitur ; secus si parva earum quantitas cum magna aquae quantitate , quia tunc judicantur isti veri potus , cum alia , quae cum aqua miscentur , ita liquefiant , ut videantur propriam naturam amisisse. Nec dicatur , quod per congelationem aqua illa mixta saccharo naturam mutet : naturae enim mutatio importat privationem prioris esse , ad quod redire non possit. Aqua autem congelata , statim ac ori admovetur , liquefit : ergo naturam non mutat. Accedit , quod si gelu naturam mutaret , desineret esse Christus sub speciebus vini , quae post consecrationem congelentur : quod falsum esse , constat ex Rubrica Missalis (c. 10. n. 11.), ubi praecipitur,

quod si species vini congelentur, debeant igne liquefieri, et sumi (n. 1022.). Nec etiam denique adversatur praecepto unicae comestionis quid parum sumere, modo non sit de carnibus, vel lacticiniis, nec excedat duarum unciarum pondus, ob parvitatem materiae: quod quidem cum causa rationabili omni culpa vacat; absque rationabili causa est tantum veniale (n. 1029.).

396. Bene vero unicae comestionis praecepto adversaretur collatiuncula serotina: sed cum illam consuetudo introduxerit, licite sumitur, etsi non ad somnum, sed ad nutritionem ordinetur. Non licet tamen absque justa causa illam sumere vel mane, vel meridie; quod caeterum esset tantum veniale, quia non violaret jejunii substantiam: ex justa causa vero, ut ratione debilitatis, negotiorum, studiorum, etc., utrumque licitum. Ex eo autem, quod collatiunculam serotinam consuetudo introduxerit, sequitur, ut etiam decernit Ben. XIV. in Bulla *Libentissime*, quod utendum in ea est ea qualitate ciborum, *quibus utuntur omnes jejunantes rectae, ac meticulosae conscientiae*. Hinc quoad qualitatem excluduntur tam carnes, quam ova, et lacticinia etiam pro dispensatis ad eadem edenda: quare idem Pontifex supplicatus, ut explicaret, an licitum esset in serotina collatiuncula parum casei sumere iis, qui in Quadragesima, et Vigiliis fuerint dispensati ad lacticinia? Pontifex supplicationem transmisit ad Poenitentieriam, quae sic rescripsit: *Sacra Poenitentieria optime conscia mentis Sanctitatis suae, ex speciali auctoritate ejusdem respondet, non licere*. Quod et

iterum proprio oraculo confirmavit, ut sibi constare ex Rescripto auth. propriis oculis inspecto Lig. testatur l. 3. n. 1027.: ac postea etiam Clem. XIII. Bulla *Appetente* decernens: *Tam dispensatos a carnium abstinentia, quam quovis modo jejunantes, unica excepta comestione, in omnibus aequiparandos iis esse, quibuscum nulla est dispensatio: ac propterea tantummodo ad unicam comestionem posse carnem, vel quae ex carne trahunt originem, adhibere.* Quaenam autem sint, quae ex carne originem trahunt, habetur in Can. *Denique Dist.* 2., ubi dicitur: *Quae trahunt originem sementinam a carnibus, ut sunt ova, et lacticinia.* Non excluduntur tamen a collatiuncula nec fructus, nec dulciaria, nec pisces; de quibus tamen, si magni sint, permitti solum ex consuetudine apud nos recepta duas, vel tres uncias, scribit Lig. n. 1028. Quoad quantitatem vero adhaeret idem Lig. dicentibus, permitti in collatiuncula octo uncias cibi, cum talis hodie sit praxis timoratorum; etiamque decem uncias, si aliquis majori indigeat nutrimento: et quidem praedictam octo unciarum quantitatem ita hodie usu receptam esse, ut indistincte permittatur etiam iis, qui cum illa ad satietatem reficiuntur (n. 1025.). Panis vero cocti cum aqua, et oleo sumi posse non improbat quinque uncias, aut saltem quatuor, licet enim crescat pondere, non excedit tamen notabiliter debitam quantitatem: admittens simul cum Tamb., quod et postea docuit Stampò, vocatque commune, ut quis actu, quo se reficit, infundens panem in aqua, aut vino, statim ori admoveat, quia tunc non intervenit fermen

tatio, et liquor ad vehiculum tantum cibi deservit. Advertit tamen cum Viva, quod adhibendo in collatiuncula herbas cum aceto, et oleo, debent haec in pondere computari, quia acetum, et oleum non habent rationem potus. (n. 1029.). In vigilia autem Nativitatis Domini, etsi adveniat in Sabbato Q. T., permittitur ex consuetudine ratione laetitiae, et solemnitatis quantitas duplo major; praeterquam si quis collatiunculam anteverteret in meridie, in quo casu excedere octo uncias non posset, quia nondum solemnitas incoepit (n. 1025.).

397. Excusantur autem ab unica comestione 1.° *adolescentes* donec 21. annum compleverint, quia indigent majori, et crebriori cibo tam ad augumentum naturae, quam ad vires solidandas; ac *senes*, cum nempe aliquis annum sexagesimum attigerit; idque etiamsi viribus valeant, ut satis probabiliter, et in praxi tutum docet Lig., tum ob universalem consuetudinem; tum quia aliter res esset scrupulis valde obnoxia; tum demum quia in tali aetate, licet videantur viribus valere, ac robusti, eorum tamen vires, ac robur de facili illudunt, et evanescunt, ac ita quotidie deficiunt, ut si in morbum incidant, difficulter perfecte convalescunt; unde Galenus lib. 5. de sanitate tuenda: *Senibus* (inquit) *simili ratione, ac iis, qui ex morbo convalescunt, in victu esse curandum.* Nec dicatur, quod cum eos jejunii lex ligaverit, possidet lex jejunii, ac proinde in dubio ad illud teneantur. Antecedenter enim ad jejunii legem possidet praeceptum naturale valetudinem servandi: ideoque sicut in dubio gravis incommodi cessat obli-

gatio recitationis officii, ut communiter admittitur; ita in dubio, quod semper adest in tali aetate, et multo magis quia bene ducitur, quod jejunium graviter sit nociturum, ac diminuat vires, quae semel amissae non amplius in tali aetate recuperantur, cessare etiam dicendum est jejunii obligationem (n. 1036.).

398. Excusantur 2.° ab unica comestione, utpote physice impotentes ad jejunandum, *infirmi*; vel qui ab aliqua infirmitate immediate convaluerint; nec non *praegnantes*, quae immo, ut docet Lig., peccarent si pluries jejunarent, quam si unum, vel alterum jejunium aliqua ex iis robusta ferre vellet; sicut etiam *lactantes*, quibus, si sint debiles, vel puerum habeant infirmum, aut cui immineat periculum infirmitatis, possunt etiam carnes permitti. Utque demum physice impotentes ad jejunandum, excusantur quoque, qui non habent prandium perfectum pro unica congrua refectione, hujusmodi nempe, ut deinde possint jejunium tolerare absque magno incommodo. Quare eos, qui non habeant nisi panem, et legumina, aut herbas, valde probabiliter excusari ab unica refectione, docet Lig.; licet enim, ait, sint ad hujusmodi obsonia assueti, ideo tamen se sufficienter sustentant, quia pluries in die, et pluries in magna quantitate se reficere solent iis cibis, qui sunt modicae nutritionis (n. 1033.).

399. Excusantur 3.° qui sint impotentes moraliter ad jejunandum, quia non sine gravi incommodo jejunare valent: quia scilicet jejunando vel gravem patiuntur capitis dolorem; vel nequeunt noctu calefie-

ri; vel per notabile tempus nequeunt somnum capere. Nec hi tenentur mane sumere collatiunculam, ut sero possint comedere, et sic servare jejunium, ut valde probabiliter docet idem Lig., quia dilatio comestionis usque ad vesperam medium est non solum extraordinarium, sed adeo grave afferens incommodum, ut propterea derogatum fuerit antiquae disciplinae (n. 1034.). Quibus etiam, moraliter scilicet impotentibus, accenset et milites, sive sint in castris, sive in hospitiis; tum quia magnos labores perferunt, tum quia statis horis nequeunt comedere, nec congruum habent cibum pro jejunio: et uxores, quae jejunando gravem paterentur indignationem a viris; modo jejunium non prohibeatur a viro in contemptum Religionis, vel praecepti Ecclesiae, ex dictis l. 1: n. 88.: et viros ipsos, si jejunando non possent uxoribus debitum reddere; cum praeceptum justitiae debeat praecepto jejunii praevalere (n. 1034.). Iisdem etiam accensendi sunt qui iter pedestre conficiunt per majorem diei partem; utque clarius Salm. se explicant, quibus Lig. videtur adhaerere, conficientes iter 15. milliariorum: addens caeterum, quod si via esset tam ardua, aut tempus tam asperum, aut si itinerans esset adeo debilis, vel itineri non assuetus, ut non posset jejunare sine magna difficultate, ob has causas posset aliquando excusare a jejunio iter etiam sex milliariorum, vel minus. Excipiendum tamen 1.°, si persona completo itinere, et alia refectione non sumpta in notabili quantitate, ex dictis num. 394., jam postea satis se reficiat; tunc enim nequit secundam comestionem facere, nisi die sequenti iter

prosequi deberet. Ac 2.°, si iter commode differri possit; quo posito, docet D. Th., *non sunt propter hoc jejunia Ecclesiae praetermittenda* (2. 2. *qu.* 147. *a.* 4. *ad* 3.). Si tamen incoepto itinere, jejunii dies obveniat, non tenetur itinerans ab illo desistere, ut jejunet. Itinerantes vero equo, vel rheda, non excusantur; proscriptaque fuit ab Alex. VII. prop., quae ajebat: *Excusantur absolute a praecepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter unius diei conficiant.* Communiter tamen DD. excusant, qui sic itineretur per plures dies, si absque magno incommodo nequeat jejunare. Qua super re advertit quoque Lig., posse aliquando excusare iter etiam unius diei, si agendum esset cum magna defaticatione, uti evenit cursoribus, vel si equitans sit debilis, aut tempus sit asperum, vel iter arduum, aut extraordinarium (n. 1047.).

400. Iisdem demum accensendi sunt incumbentes artibus, quae exerceri nequeunt, nisi cum ingenti corporis agitatione: cujusmodi artes exercere, ideoque a jejunio ex communi sententia excusari dicuntur Fossores, Agricolae, Lapidicinae, Figuli, Textores, Lanarii, Fullones, Bajuli, Aurigae, Nautae remigantes, Fabri lignarii, ferrarii, et murarii; quibus merito adduntur Cursores; Sutores, qui calceos conficiunt; Furnarii, aliique id genus laborantes per majorem diei partem, non vero si per duas, vel tres horas. Barbitonsores autem, ac Sartores non excusantur; nisi aliquis artem suam sine refectione exercere non valeret propter laboris molestiam, vel com-

plexionis debilitatem: vel nisi aliquandò Sartores deberent extraordinario labore etiam per magnam noctis partem suere: ac generatim pro regula habeatur, quod qui sine magno incommodo nequit aliquam artem, etsi per se non laboriosam, exercere, vel propter debilitatem personae, vel propter aliam peculiarem circumstantiam, non tenetur ad jejunium (n. 1041.).

401. Quaeritur tamen 1.°, an opifices divites, qui ex officio artes laboriosas exercent, peccent, si in die jejunii laborando, fiant ad illud impares? Affirmant quidem nonnulli cum D. Th. Negat tamen communis sententia, quam confirmavit Eug. IV. vivae vocis oraculo, ut testantur Sylvester, Nav., Less., Ronc., Viva, Salm., aliique innumeri. Ac ita etiam fert praxis, et consuetudo; maxime cum Reipublicae intersit, ne Opifices operas suas intermittant ad jejunandum. 2. An qui laborando valent sine gravi incommodo jejunare, teneantur ad jejunium? Ad quod Lig. respondet, quod licet speculative videatur probabilius, quod teneantur ad jejunium, quia lex universe obligat omnes, qui valent cum levi incommodo jejunare; in praxi tamen vix reperietur unus, qui ex hujusmodi labore graviter non relaxetur; ac similiter respondendum est quoad exercentes artes laboriosas in diebus, in quibus a labore vacant. Peccaret tamen contra legem jejunii, qui sine justa causa laborem assumeret incompatibilem cum jejunio; sive id faceret in ejus fraudem, sive non, ex dictis lib. 1. num. 91; et ex ratione D. Th., ubi ait: *Qui enim vult aliquid, cum quò aliud esse non potest, ex consequenti vult illo carere* (*1. 2. qu. 71. art.* 5.).

402. Excusantur 4.° ab unica comestione exercentes pietatis opera, quae Deo gratiora sint jejunio, sintque cum hoc absque gravi incommodo incompatibilia; ut deservientes pluribus infirmis cum magno labore in Hospitalibus; concionantes quotidie cum magna corporis agitatione; etc. Advocati autem, Judices, Confessarii, qui per totum fere diem proprio muneri incumberent, non per se, sed tantum per accidens, docet Lig., quod possunt a jejunio excusari, nimirum si ratione alicujus gravis circumstantiae non possent suis officiis jejunando satisfacere (n. 1049.).

403. Alterum, quod diximus praecipi in diebus jejunii, est abstinentia a carnibus, ovis, et lacticiniis; et quidem sub gravi, ob quod proscripta fuit ab Alex. VII. prop., quae ajebat: *Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, et lacticinia in Quadragesima obliget.* Idque etiam in ipsis Quadragesimae Dominicis ex C. *Denique*. Dist. 4., ubi universe praecipitur in diebus Quadragesimalibus abstinentia a lacticiniis. Certum autem est, quod dies Dominici in Quadragesima occurrentes dies etiam Quadragesimales sunt. In aliis vero jejunii diebus extra Quadragesimam de jure communi vetitum quoque est laridum, et sagimen, cum vere utrumque, ut scribit Lig., de carnis substantia participet; quare et vetitum dicendum utrumque est in diebus Veneris, et Sabbatis intra annum: de jure tamen communi non sunt vetita in aliis jejunii diebus extra Quadragesimam ova, et lacticinia; in citato enim C. *Denique* agitur tantum de jejunio Quadragesimali, de quo erat quaesitum, ut patet etiam ex contextu Canonis, ubi dicitur: *A*

Quadragesima propositum jejunandi suscipiant, et hujus sacri temporis, etc. Nec obstat C. *Rogationes*, cum illud statutum fuerit pro particulari Ecclesia Aurelianensi. Accedit etiam D. Th. auctoritas 2. 2. *qu.* 147. *art.* 8. *ad* 3., ubi ait: *In quolibet jejunio interdicitur esus carnium. In jejunio autem Quadragesimali interdicuntur universaliter etiam ova, et lacticinia.* Attamen si in aliis jejunii diebus extra Quadragesimam vetita non sunt de jure communi ova, et lacticinia, vetita inter nos sunt ex consuetudine, ut ex Scriptoribus nostratibus testatur prae aliis Hyac. Stampò: et quidem sub gravi, consuetudo enim de re graviter onerosa, certo obligat sub gravi, ut etiam docet Lig. n. 1009. Sicut e contrario non prohibetur in diebus jejunii esus quorumdam animalium ut ranarum, concharum, limacum, locustarum, testudinum; quod et Milante, et Tamb. dicunt de Viperis; aliique de lutris, castoribus, fibris, et de anatribus cujusdam generis. Ratio autem est, quia in communi aestimatione habentur tamquam pisces, vel quia vix habent sanguinem, aut hunc frigidum; vel quia nutriuntur piscibus, aut in aquis ad instar piscium. Aves tamen, licet aliquae nutriantur in aquis, habentur, ut verae carnes, prout sunt fulicae, corvi marini, et similes (n. 1011.).

404. Excusat autem a carnium abstinentia 1.° *aetas ante septennium*; in qua iis etiam, qui rationis usum adepti fuerint, non improbabiliter ministrari posse, docet Lig. ex D. Th., quia lex positiva, ut diximus lib. 1., n. 93., respicit communiter contingentia. 2.° *necessitas*, pauperes enim, qui oleo carentes

larido sibi herbas prepararent, bene excusantur ex Lig.º, si carentia esset per tempus notabile, puta per hebdomadam: immo ex eodem qui non habent, vel non possunt invenire aliud ad necessariam sustentationem, quam lacticinia, vel carnes, licite quoque in diebus vetitis possunt de iis vesci: sicut etiam ubi per plures dies aliud, quam panis, haberi non possit, liceret vesci, non solum lacticiniis, sed et carnibus (n. 1008.). 3.º *dispensatio*, quae tamen sit de utriusque Medici consilio, ac sub gemina conditione, et quidem utraque sub gravi, ac etiam in diebus jejunii extra Quadragesimam; idest *unicae in die comestionis*, *et non permiscendarum epularum*, carnium nempe cum piscibus: quod tamen postremum intelligendum est in eadem mensa, et rigorose de carnibus, licet namque pulmentum aliquod carnium jure coctum in eadem mensa comedere, ac simul de piscibus. Ita Ben. XIV. in Encyclicis *Non ambigimus etc. In suprema etc. Libentissime etc. Si fraternitas etc.*, in quibus praedicta omnia decrevit; ac declaravit observanda a dispensatis ad carnes tam in conviviis, quam in mensis privatis, quidquid dicat pro his recens quidam Auctor: praecipit namque Summus Pontifex, ne Medici concedant alicui facultatem vescendi carnibus in diebus vetitis, nisi sub praefatis conditionibus. Medici autem concedunt facultatem hujusmodi in diebus vetitis tantum ne in conviviis, an etiam in mensis privatis? Cui accedit, quod in laud. Constit. *Si fraternitas* nullam Pontifex mentionem facit de conviviis, sed generice loquitur.

405. Absque scrupulo tamen edi posse a dispen-

satis ad carnes etiam suillam, docet Lig., tum quia, etsi insalubris esset, edictum tamen Clem. XI. sub die 24. Febr. 1703., ubi dispensatis in Quadragesima permittebantur tantum carnes salubres, non fuit generale pro tota Ecclesia, sed tantum pro Statu Romano; ut declaravit Ben. XIV. prius in Not. 15. n. 24., ac postea in Bulla *Non ambigimus*: tum quia immerito habetur pro insalubri; de ea enim Galenus loquens, ut refert Biverius, asserit, quod nobis est *valde analoga*, *et conveniens*, quodque *omnium ciborum potissime nutrit*, *si bene coquatur*, propterea quod *crassum*, *et lentum habet succum*, *et ideo nutrimentum praebet firmum*, *ac durabile*, *quod dissipari facile nequit* (*Inst. Med. l. 2. c. 17.*). Idem quoque docet Hoffman: eamque vetitam fuisse Hebraeis, docet D. Th., non quia noxia, sed quia immunda reputabatur, dicitur enim Lev. c. 11.: *Horum carnibus non vescimini*, *quia immunda sunt vobis*. Immundae autem appellantur, quia, ut scribit Plutarchus, *nullum animal adeo gaudet coeno, et sordidis locis* (n. 1015).

406. Advertendum denique quoad dispensationem a cibis vetitis tempore Quadragesimae, quod interveniente necessitate ab iis dispensandi cum universa quadam Civitate, aut Gente, decrevit Ben. XIV. in Bulla *Libentissime*, obtinendam esse dispensationem a Sede Ap., nec posse concedi ab Episcopo. Nec omittenda est doctrina commúnis, quam D. Th. tradit 2. 2. *qu.* 146. *art.* 4., quod *si causa sit evidens*, *per seipsum licite potest homo statuti observantiam praeterire*, *praesertim consuetudine interveniente*, *vel si non posset de facili recursus ad Superiorem haberi. Si vero causa*

sit dubia, debet aliquis ad Superiorem recurrere, qui habet potestatem in talibus dispensandi.

407. Tertium demum, quod praecipitur in diebus jejunii, est, ut diximus, hora refectionis; quae antiquitus fuit vespere post solis occasum; deinde retroacta fuit ad horam nonam, inter meridiem nempe, et occasum; denique a XIV saeculo ad horam sextam, sive ad meridiem; quam proinde non licet sine causa notabiliter antevertere. Id autem fit, si antevertatur per horam; omnibus enim licet, ut docet Lig., illam anticipare infra horam, etiam sine causa. Nonnisi tamen veniale, immo nullum, si justa causa subsit, iter nempe inchoandum, urgens negotium, debilitas complexionis, urbanitas, et similia, existimat Toletus, Less., Laym., Salm., aliique, cumque iis Lig., illam notabiliter, et sine causa antevertere, cum hora refectionis non sit de jejunii essentia, sed circumstantia tantum accidentalis; sicut in Officio Divino hora recitationis, licet sit praecepta, non pertinet tamen ad officii substantiam, ideoque graviter non obligat. Nec dicat quis, quod antevertendo comestionem, frustretur finis jejunii, carnis nempe maceratio: tum quia haec subinde compensatur cum longiori intra diem abstinentia: tum quia finis praecepti non cadit sub praecepto, secus namque ii, qui parcissimo indigent cibo, praecepto jejunii non satisfacerent (n. 1016.).

LIBER III.

DE OBLIGATIONIBUS, SIVE EX PROFESSIONE DIVERSORUM STATUUM, SIVE EX ALIIS VICISSITUDINIBUS EMERGENTIBUS.

Cum homo teneatur, non solum legibus Decalogi, et Ecclesiae, sed illis etiam, quas sive ipse sibi imposuerit, statum aliquem, vel officium aliquod suscipiens, sive ex aliis vicissitudinibus emergant: hinc cum egerimus de praeceptis Decalogi, et Ecclesiae, ordinis ratio postulat, ut de obligationibus sive ex professione diversorum statuum, sive ex aliis vicissitudinibus emergentibus agamus. Sit igitur.

TRACTATUS I.

DE STATU RELIGIOSO.

CAPUT I.

De notione status Religiosi.

1. Definitur status Religiosus *stabile, et perpetuum vivendi institutum ab Ecclesia approbatum, tendens ad Christianam perfectionem per vota praesertim castitatis, paupertatis, et obedientiae. Stabile*, ac per-

petuum; in statu enim Religioso in perpetuum Dei obsequium homo se tradit irrevocabiliter. *Ab Ecclesia approbatum*, idest a Sede Apostolica; sanxit enim Conc. Lugdunense II. sub Greg. X., ut nulla jam exurgeret Religio, nisi Papa approbante. *Tendens ad perfectionem Christianam per vota praesertim etc.*; non enim solum Religiosus iis se obstringit, quae caeteris fidelibus, nonnisi ut consilia, sunt a Christo proposita Matth. 19., ubi dicitur: *Sunt Eunuchi, qui seipsos castraverunt propter Regnum Coelorum.* Et: *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia, quae habes, et veni, sequere me.* Et cap. 6.: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum*; sed Statutis etiam, et Constitutionibus sui Ordinis. Est enim status Religiosus, ut D. Th. docet: *Disciplina quaedam, seu exercitium perveniendi ad perfectionem* (2. 2. *qu.* 186. *a.* 2.); idque obtinetur per observantiam trium votorum castitatis, paupertatis, et obedientiae, veluti per media praecipua; quod enim maxime perfectioni adversatur, sunt tria illa, quae a D. Jo. indicantur, scilicet *concupiscentia carnis*, *concupiscentia oculorum*, *et superbia vitae* (*ep.* 1. *c.* 2.); nec non per observantiam Constitutionum proprii Ordinis, quae nedum sunt velut votorum antemurale, verum etiam media necessaria ad consequendum finem, quem unaquaequae Religio ad inserviendum Deo, suosque alumnos perficiendos sibi praefixit. Nihil autem refert ad Religiosum constituendum, sive illa vota sint solemnia, sive sint simplicia, cum per vota etiam simplicia possit unusquisque seipsum tradere irrevocabiliter in perpetuum Dei ob-

sequium. Hinc etsi prima Jesuitarum vota sint simplicia, eosdem tamen vere, et proprie Religiosos constituunt, ita ut si a Societate deficiant, excommunicationi, et aliis Apostatarum poenis subsunt, prout declaravit Greg. XIII. Bulla *Ascendente Domino.*

2. Ut valide tamen status Religiosus profiteatur, requiritur 1.° decimus sextus aetatis annus expletus, praevio anno integro cum Religioso habitu in probatione. 2.° ut qui illum vult profiteri, nullum habeat impedimentum, quod per statuta a Pontifice confirmata, substantiale in Ordine censeatur. 3.° ut adsit consensus, et acceptatio expressa, vel tacita Praelati ipsius Ordinis; eaque juxta cujusque Ordinis statuta: 4.° ut fiat omnino libere. Qua super re advertendum Trid. decretum, ubi excommunicantur *quicumque coegerint aliquam Virginem, vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem invitam, praeterquam in casibus in jure expressis ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscumque Religionis, vel ad emittendam professionem.* Nec non ii, qui *consilium, auxilium, et favorem dederint, quique scientes, eam non sponte ingredi Monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eidem actui vel praesentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint* (*sess.* 25. *c.* 18. *de Regul.*). Simplex tamen inductio, sive suasio, non est coactio ex Lig.°; idque probabiliter, etiamsi addantur preces importunae; cum enim agatur de poenis, talis coactio est stricte accipienda ad excommunicationem incurrendam. Quod si preces excederent limites simplicis suasionis, quia instantissimae, et saepius incul-

catae, satis essent ad illam incurrendam, quia viderentur involvere gravem metum ex probabili futura indignatione parentum. Cumque Concilium excipiat casus in jure expressos, hinc probabiliter quoque ex eodem potest cogi Mulier delinquens ad ingrediendum in sui criminis poenam, vel ne labatur in aliud hujusmodi, ut colligitur etiam ex c. *Significavit*, et ex c. *Gaudeamus de convers. Conjug.*: sicut etiam puella, non quidem causa melioris educationis, sed si prudens adsit suspicio, quod in saeculo manens, pravis moribus imbueretur, quia nimis propensa ad conversandum cum maribus, vel quia domi haberet, unde facile scandalum sumeret, finis namque Concilii cessaret in hoc casu, non solum negative, sed etiam contrarie (l. 7. n. 212.). Cogentes autem mares ad ingrediendam Religionem nullo quidem modo excusari possunt a gravi culpa, sed immunes sunt a censura; quia a Concilio excommunicantur tantum cogentes foeminas, non mares; nec in poenalibus extendenda lex est de casu ad casum, tametsi eadem ratio procedat, ex regula generali, quod *odia restringi convenit*. Advertendum quoque, excommunicari ibid. a Trid., *qui Sanctam Virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi quoquo modo sine justa causa impedierint*. Nomine autem veli intelligitur professio religiosa, quae fit per veli susceptionem. Voti vero nomine, non intelligitur votum simplex castitatis, aut Religionis, sed eadem professio cum tribus votis, sine tamen susceptione veli, ut fit in aliquibus Monasteriis. Advertendum demum, excommunicationes, de quibus hic di-

ctum est, esse quidem latae sententiae, sed non reservatas (Lig. l. cit.).

3. Invalide etiam reciperentur Episcopi, nisi ex dispensatione Pont., cui adstricti sunt jurejurando obedire, ex C. 10. *de renunc.* Conjugati post Matrimonium consummatum, nisi accedat compartis consensus, ex C. 4. 8. et 13. *de convers. Conjug.*: ac demum professi, qui ex uno Ordine ad alium laxiorem transirent, ex Trid. *sess.* 24. Diximus autem *laxiorem*, omnibus namque Regularibus permittitur a jure ad Religionem strictiorem transmeare, ex C. *licet de Regul.*: quod tamen non est laudabile ex Ap., ubi monet, ut *quisque in vocatione, in qua vocatus est, permaneat* (1. *ad Cor.* 7.), Hinc Trid. statuit, ut translatus ad aliam Religionem, etiam arctiorem, *sub sui Superioris obedientia in Claustro perpetuo maneat, ac ad beneficia saecularia etiam curata omnino incapax existat* (*Sess.* 14. *c.* 11. *de Ref.*). Caeterum, ut hujusmodi transitus sit validus, requiritur etiam, ut petatur licentia transeundi a proprio Praelato, qui si eam recuset concedere, habetur a C. *licet de Regul.*; etsi non desint, qui etiam tali facultate non petita, asserunt validam professionem; nec non ut transiens expleat annum probationis requisitum, eoque expleto profiteatur, ex Trid. *sess.* 25. *cap.* 15. *de Regul.*, *et sess.* 14. *c.* 11.

4. Si quis autem invalide professus fuerit statum Religiosum, potest ex Trid. reclamare, modo reclamet intra quinquennium a die Professionis computandum (*sess.* 25. *de Reg. c.* 19.). Quod si metu gravi, aliave justa causa fuisset a reclamatione impe-

ditus, vel toto quinquennio ignorasset suae professionis nullitatem, potest etiam reclamare elapso quinquennio. Qua super re jubet quoque Trid., ut causas nullitatis, quas praetendit, coram Superiore suo, et Ordinario deducat. Pro Monialibus vero statuit Ben. XIV. in Bulla *Si datam hominibus*, quod pro non exemptis causae nullitatis agnoscendae sunt a solo Ordinario: pro exemptis vero ab Ordinario simul, et a Praelato, cui regimen Monasterii commissum est. Nec debet ex eodem Concilio habitum motu proprio dimittere, alias, ait Conc., ad Monasterium redire cogatur, ac tamquam Apostata puniatur. Quod si habitum reassumpserit, potest ex citata Bulla Ben. XIV. *Si datam hominibus* audiri.

5. Hactenus de iis, quae ad valorem Religiosae professionis requiruntur. Illicite tamen, etsi valide, reciperentur 1.° parentes suos sive in extrema, sive in gravi necessitate relinquentes, vel fratres, et sorores in extrema, si iis manentes in saeculo subvenire possint; cum instet praeceptum naturale iis subveniendi, cui merito opera consilii cedere debent: ob quam rationem, etsi fratres etiam, ac sorores sint tantum in gravi necessitate, convenit, ut aliquis, licet non teneatur, maneat in saeculo, ut eis subveniat. Immo docent TT., quod etsi aliquis professionem Religiosam emiserit, tenetur nihilominus egredi, ut parentibus extrema necessitate pressis subveniat, nisi manens in Claustro possit iis aliter subvenire. Quod si tantum sit gravis, probabilius ex Lig. l. 4. n. 67. nec tenetur, nec potest egredi sine Praelati licentia, utpote cujus potestati se per professionem tradidit: ac tantum,

haec utique est justa causa ad petendam hujusmodi licentiam, si nulla alia subveniendi ratio suppetat. Illicite etiam, licet valide reciperentur debitis gravati, ut peculiari Const. Clem. VIII. declaravit; nec non qui sub spe matrimonii Virginem deceperint; sicut etiam rationibus reddendis obnoxii, nisi prius redditis rationibus: quia per ingressum injuriam alteri inferrent. Et valide tamen, et licite Clericis, ipsisque Parochis permittitur, idque etiam contradicente Episcopo, Religionem ingredi; ut constat ex C. *Duo sunt l.* 19. *qu.* 2., ubi Urbanus II. ad Rufinum id expresse declarat: quod et confirmat D. Th. 2. 2. *qu.* 189. *a.* 4.; et sanxit quoque Ben. XIV. Bulla *Ex quo dilectus*: advertens simul, debere Parochum, *non tam officio, et honestate, quam naturali legis praecepto, Episcopum certiorem facere, ne grex absque custode remaneat*: sicut etiam Beneficium non vacare, nisi post professionem; quod et statuit de omnibus aliis Beneficiariis. Possunt caeterum ab Episc. impediri, immo et post professionem revocari, ut declaravit idem Ben. XIV., *si ab eorum ingressu in Religionem, Ecclesia, ob quam ordinati fuere, grave detrimentum pateretur.*

6. An autem annulletur professio Religiosa per promotionem ad Episcopatum, licet quidam affirment ex C. *Statutum causa* 18, ubi dicitur: *Monachus, quem canonica electio a jugo Regulae Monasticae professionis absolvit, et sacra Ordinatio de Monacho Episcopum facit etc.*; communior tamen sententia id negat quoad vota: cum enim obligationem servet deferendi habitum ex C. *Clerici de vita, et hon. Cler.*, manet ergo obstrictus votis, quae sunt

de Religionis essentia: maxime quia votum, cum sit quid personale, comitari debet personam ipsam, quantum novus ejus status id ferat. Quod confirmatur etiam auctoritate D. Th. 2. 2. *qu.* 88. Hinc Religiosus provectus ad Episcopatum tenetur vi voti obedientiae hanc praestare, non quidem Praelatis sui Ordinis, cum desierit esse eorum subditus, ut D. Th. docet 2. 2. *qu.* 185. *art.* 8. *ad* 3., sed Summo Pontifici Ordinum omnium Supremo Superiori. Sicut etiam praeter castitatem, ad quam tenetur ratione et professionis Religiosae, et Sacrae Ordinationis, tenetur ad votum paupertatis, vi cujus nullius rei verum dominium sibi comparare potest, sed Ecclesiae, cui praeest, cuique acquirit quidquid acquirit, ut colligitur ex cit. c. *Statutum*, ubi dicitur, *Religiosum provectum ad Episcopatum acquirere, non Monasterio, sed Episcopatui.* Absque ulla tamen facultate disponere potest de fructibus Beneficii ad honestam sui sustentationem, et ad causas pias, perinde ac Beneficiarius saecularis, ex *Clementina* 2. §. *Sed et tales de vita, et hon. Cleric.* Idemque dicendum de Parocho Regulari, nam vix Parochia posset recte gubernari, nisi Rector haberet liberam facultatem redditus Beneficii in pias causas consumendi, ac sublevandi miseras personas, quas fovere debet, ut pater.

7. Quod tamen praecipua Religiosi obligatio sit immota in Religione, quam professus est, stabilitas, id non tollit, quin incorrigibiles possint de Religione ejici, ut statuitur C. 6. *de Statu Monach.*; magis namque expedit, ut unus, quam Communitas pereat. Ut autem incorrigibiles censeantur, unius anni

jejunio, et poenitentia in carcere probandi sunt. Ita Urbanus VIII. declaravit anno 1624. Moniales vero perpetuo potius carceri mancipandas, quam ejiciendas, monet Sanchez. Dimissusque ob culpam ab Ordine suo, manet tamen Religiosus, votisque adstrictus. Si quis autem a Monasterio dissesserit absque Praelati licentia, sive animo ad illud aliquando revertendi, sive non, tenentur Superiores sub gravi peccato, si absque gravi Ordinis damno possint, et non omnino incorrigibiles videantur, illos requirere, et recipere, cum et jure Divino, et naturali teneantur, quantum possibile est, eorum saluti prospicere: utque etiam statuitur c. ult. *de Regular*, et c. *A nobis de Apost.*

CAPUT II.

De votis castitatis, paupertatis, et obedientiae; ac de Regularum custodia.

8. Et 1.° quoad votum castitatis, aliud non ducimus addendum iis, quae diximus l. 2. n. 93. ubi de Sacril., nec non ubi de 6. Dec. praec., nisi 1.°, quod Religiosus peccans quoquo modo contra castitatem, irretitur etiam crimine sacrilegii. 2.° quod ejus votum dirimit sponsalia ante, et post ipsum contracta. *Ante*, utpote inita ex communi Ecclesiae sensu sub tacita conditione: *Nisi me Deus ad perfectiorem statum vocet. Postea*, utpote de re illicita, et citra Romani Pontificis dispensationem prorsus impossibili. 3.° quod votum emissum irritat quoque Matrimonium subsequens, immo et illud, quod praecessisset, et nec-

dum fuisset consummatum. Haec satis sint quoad votum castitatis, diu enim super paupertatis voto immorari debemus.

9. Omnes Religiosi, Franciscanis exceptis, possunt in communi possidere bona, eorumque domini sunt eodem modo, ac Beneficiarii Saeculares; ut constat ex Trid. *sess.* 25. *c.* 3. *de Regular.*: paupertas enim, quae ab iis profitetur, non excludit dominium in communi, sed tantum efficit, ut nemo in particulari possit de re ulla, tamquam dominus, et independenter a Superioris nutu disponere. Nemo tamen Religiosus in particulari capax est proprietatis; idque est, in quo praecipue consistit votum paupertatis ab iis emissum, et quidem ita, ut juxta Innoc. III., *abdicatio proprietatis, sicut et custodia castitatis adeo est annexa regulae Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere* (c. 6. *de Statu Monach.*): quia nempe, ut TT. explicant, nequit dispensare in votis solemnibus cum Religioso, manente in statu Religiosi. Prohibetur proinde ibid. *sub obtestatione Divini judicii, ne quis Monachorum proprium aliquo modo possideat: ac si proprietas apud quemquam inventa fuerit in morte, ipsa cum eo in signum perditionis extra Monasterium in sterquilinio subterretur.* Id autem confirmavit quoque Trid. *sess.* 25. *c.* 2. *de Regular.*, ubi sic dicitur: *Nemini Regularium tam virorum, quam mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia tamquam propria, aut nomine Conventus possidere, vel tenere, sed statim ea Superiori tradantur, Conventuique incorporentur. Administratio autem bonorum Monaste-*

riorum ad solos Officiales eorumdem, ad nutum Superiorum amovibiles, pertineat. Mobilium vero usum ita Superiores permittant, ut eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat, nihilque superflui in ea sit; nihil etiam, quod sit necessarium, eis denegetur. Ex quibus Trid. verbis sequitur, consistere paupertatis votum in abdicatione cujuscumque proprietatis, rerumque, etsi ad usum tantum, et cum Superiorum venia habeantur, vel pretiosarum, vel superfluarum.

10. Hinc etiam sequitur, peccari a Religioso contra paupertatis votum 1.°, si rem temporalem pretio aestimabilem, sive ea ad Communitatem pertineat, sive non, sique etiam sit esculentum quid, vel poculentum ipsius Domus, sine licentia Superioris accipiat, retineat, absumat, destruat, permutet, commodet, alienet, aut ea utatur, vel demum debitum remittat; cum praedicta omnia sint actus proprietatis, adeoque Religioso illiciti. Peccat autem graviter, vel leviter juxta materiam: cumque materia est levis, peccat graviter statim ac pervenit ad gravem. Gravis autem materia adversus paupertatis votum assignatur a Colet pro Monasteriis *valde locupletibus* valor trium lyrarum gallicarum: pro *mediocriter locupletibus* duarum: pro *pauperibus* unius. Quaevis vero illarum aequivalet granis viginti quatuor nostris (*ap. Pav. Batt. lab. t. 4. §. 283.*). 2.° peccari etiam contra paupertatis votum a Religioso, si res vel pretiosas, vel superfluas ad suum usum habeat, etsi cum Superioris licentia, etiamve cum hac, si aliquid in usus illicitos expendat: Superior enim, ut ait Lig., aliam

non habet facultatem super Monasterii bona, nisi quam Canones, et Religio illi concedunt. Nec Canones autem facultatem illi concedunt impertiendi licentiam ad usus superfluos, vel illicitos, quin potius utrumque illi prohibetur in *Clement. I. de statu Monach.*, et in Trid. l. cit.: nec Religio censetur concedere quod in exitium suorum filiorum vergit (l. 4. n. 30.).

11. Notandum tamen 1.° cum eodem Lig., quod licet Religiosus nequeat nec donare, nec remittere sibi debita, uti essent vel legata sibi relicta, vel mercedes debitae suis laboribus, vel pensio annua illi a parentibus solvenda, ac contractu constituta, cum in omnia haec jus habeat Monasterium; potest tamen non acceptare munera, quin laedat votum paupertatis, cum hoc obliget ad non alienandum acquisita, non vero ad acquirendum. Hinc volenti illi dare centum bene potest petere, ut det ejus consanguineo, vel amico. Nolens caeterum sine justa causa acceptare, quod sibi offertur, posset peccare contra charitatem, impediendo bonum suae Religionis. 2.° *Non esse proprietarium Religiosum, qui donat aliquid ponens spem in ratihabitione Praelati*: ut D. Th. docet; modo tamen de tali ratihabitione sit moraliter certus, idque faciat ex justa causa, et Superiore absente; et modo in Ordine, quem professus fuerit, praecepium non vigeat, quod licentiae expresse petantur. (l. 4. n. 18., et 20.).

12. Gravis autem hic surgit quaestio, an ubi adest consuetudo liceat Religioso, peculium sive ex annua pensione, vitalitio, vel livello, sive ex concionibus, vel operibus artificialibus, sive aliunde proveniens,

cum licentia Superioris, et dependenter ab ejus arbitrio penes se habere, ut sibi de necessariis provideat? Qua super re, certum est, quod juxta laudatam Trid. sanctionem non liceret Religioso qualecumque peculium habere nec etiam cum Superioris licentia, et dependenter ab ejus arbitrio: interdicitur enim Religioso bona vel immobilia, vel mobilia, tamquam propria, etiam nomine Conventus possidere, vel tenere. Quid aliud autem significat illa possidere, ac tenere nomine Conventus, nisi illa possidere, ac tenere a Praelato concessa, qui vices Conventus repraesentat? Quod confirmatur et ex verbis immediate sequentibus, quod *statim Superiori tradantur, Conventuique incorporentur*; communia scilicet fiant, atque ad usum totius Conventus destinentur: et ex illis: *Mobilium vero usum ita Superiores permittant, ut nihil, quod sit necessarium, eis denegetur*: ajendo enim Concilium, quod *iis necessarium non denegetur*, implicite ait, quod ea ab Officialibus accipiant.

13. In illis caeterum Ordinibus, in quibus ob collapsam paupertatis in suo rigore observantiam consuetudo peculii inolevit, licet Religioso illud, ut supra diximus, penes se habere, sub conditionibus tamen, quae infra dicentur. Idque probatur 1.° ex Brevi Clem. VIII. ad Card. Gesualdum Archiep. Neapol. 1602: *Quod liceat Abbatissae cujuslibet Monasterii permittere Monialibus, ut unaquaeque earum ex subventionibus, quae eisdem Monialibus dantur, aliquid expendere possit, absque eo quod per manus officialium erogetur, et sine onere aliam de eis rationem reddendi. Summa autem haec erit scuti unius quolibet mense pro minutis*

causis, *etc.* Cumque Pont. praecepisset simul, *ut in posterum neque ad habitum, neque ad professionem aliqua reciperetur, nisi sub integra reformatione vitae communis*, atque ab hoc Moniales reclamassent, idem Clemens aliud edidit Decretum, quo mentem suam sic declaravit: *Moniales vero, quae in posterum admittentur in iis Monasteriis, in quibus subventiones retinentur, nullatenus invitae cogantur ad vitam communem.* Non igitur vita communis est de essentia voti paupertatis, ac proinde peculia licite ex consuetudine permitti possunt: 2.° ex alio Brevi Innoc. XI. anno 1691, quo Pont. approbavit Constitutiones Ordinis S. Mariae de Mercede, jam prius approbatas ab IX. aliis Pontificibus, in quibus Constitutionibus ita quoad votum paupertatis: *Attendant fratres, quod singulis annis semel omnia, quae in usu retinent, commendatoribus suis exponant, et realiter exhibeant, eorum dispositioni relinquendo, et specialem licentiam utendi eis accipiant a Praelato.* Peculium ergo aliquod cum Superioris licentia retinere, et expendere simul cum paupertatis voto bene esse potest: 3.° ex alio Brevi Ben. XIII. anno 1724., in quo Pont. loquens de Religiosis ad aliquam Dignitatem promotis, praecipit, *ut omnia bona mobilia, seu immobilia cujuscumque generis, quae eos tempore suae promotionis penes se, vel alios habere contigerit, exceptis dumtaxat scriptis propriis, etc., Superiori locali resignare teneantur.* Licet igitur Religiosis, ut Pont. saltem praesupponit, talia cum Superioris licentia penes se habere.

14. Notandum tamen 1.° cum Lig. l. 4. n. 15., quod nemo Religiosus potest vitam communem recu-

sare, si Superiores illam velint rursus erigere, quia licet non sit contra paupertatis votum, ubi istud emissum non fuerit simul cum vita communi, hanc non servare, est tamen contra illud vitam communem respuere, utpote idem ac velle bona habere independentur a voluntate Superioris. 2.° cum Ben. XIV. l. 13. de Syn. c. 12. §. 21., quod ubi adest consuetudo peculii retinendi, debet Religiosus de peculii summa *Superiorem certiorem facere, nec sine praeobtento illius consensu eo uti; et tunc quidem in causas tantummodo honestas, et necessarias ab eodem Superiore approbandas; ac denique persuasum habere, nullum ei esse hujusmodi peculii dominium, sed merum usum, huncque omnino subjectum Superioris arbitrio, ac voluntati; ideoque semper paratum esse oportere, nullis objectis impedimentis, sed aequo potius, libentique animo, ut Superior, sic exposcentibus Monasterii rationibus, in illius sublevandis indigentiis, pecunia ab ipso deposita utatur.* Ex quibus Pont. Sapientissimi verbis patet, quot Religiosi, ac Moniales ob defectum saltem hujus interioris dispositionis in continuo peccato lethali, ac statu damnationis versentur: sicut enim admittitur a TT. usura, ac simonia mentalis, ita admittenda est proprietas mentalis contraria paupertatis voto, cumque hoc incompatibilis.

15. Praeter castitatis, et paupertatis votum emittitur quoque a Religiosis votum obedientiae, de quo nunc agendum simul cum Regularum custodia, quae ad illud refertur; id omne enim, ut docet D. Th., est objectum religiosae obedientiae, quod praecipitur,

sive oretenus a Praelato, sive in Regula (2. 2. *qu.* 186. *art.* 9.). Et quoad 1., etsi ad obedientiae perfectionem spectet, quod Religiosus obsequatur cuicumque Superioris nutui, proprie tamen loquendo inobediens non est, si ejus voluntatem non exequatur sic expressam: *Vellem, optarem, ut id faceres*; sed cum ejus praecepto resistit. Immo et dicente Praelato: *Jubeo, praecipio*, nec etiam tenetur sub gravi obedire, nisi addatur: *In nomine D. Jesu Christi*, vel *in virtute obedientiae*, vel *sub poena excommunicationis ipso facto*; secus enim Superior tota, quam ad praecipiendum habet, potestate non utitur. Diximus porro *sub gravi*: ut enim recte docet Lessius, semper ac Superior aliquo modo mandat, certum est, quod obliget sub veniali, quia non intendit solum consulere, etsi tota, quam ad praecipiendum habet, potestate non utatur. Addunt DD., quod ut adsit obligatio obediendi, oportet etiam, ut id, quod praecipitur, sit juxta Regulam; si enim Superior praecipiat vel *supra Regulam*, idest graviora, vel *infra Regulam*, idest latiora, vel *praeter Regulam*, idest vana, vel demum *contra Regulam*, inferior parere non tenetur: nisi id vel indirecte ad Regulam pertineat, aut ad ejus pleniorem observantiam; vel ita exposcat necessitas, vel utilitas spiritualis, vel corporalis sive Communitatis, sive ipsius subditi; uti esset jejunio subesse in poenam alicujus culpae; assistere infirmis contagiosis sui Ordinis, vel etiam extraneis, si deessent, qui ipsis necessaria Sacramenta ministrarent; animum cum aliis recreare, quo vegetior fiat ad laborem, et Regulae onera, etc.

16. An autem illi parendum sit reformationem inducere volenti, certum est, quod si reformatio, quam vult inducere, respiciat substantialia, vel nempe votorum essentiam, vel quae immediate ad eorum observantiam conducunt, nemo potest abnuere; tum quia ad minus parendum est Superiori, cum id praecipit, sine quo salus obtineri nequit: tum quia nulla consuetudo juri Divino, et naturali praevalere potest, quae ambo simul ad vota obligant. Quod si reformatio, quam vult inducere, sit in aliis, certum quoque est, quod si relaxatio primaevae disciplinae facta fuerit Pontificia auctoritate, non tenetur subditus illi subjici, quia regula a Pontifice mitigata est quasi nova lex, quam qui vovit, non aliam rigidiorem vovere intendit. Si vero inducta fuerit a consuetudine, licet graviter peccaverint, qui eam induxerunt, cum tamen Regula per legitimam consuetudinem relaxata fuerit, nec peccat Religiosus eam non observans, in quo omnes conveniunt, cum non habeant plus auctoritatis statuta Monastica, quam leges Ecclesiae, quibus tamen in iis, quae ad disciplinam spectant, non raro derogatur; nec aeque probabiliter, nisi forte probabilius ex Lig., tenetur parere Superiori reformationem etiam cum consensu Capituli, vel majoris professorum partis inducere volenti, quia censetur professionem religiosam non emisisse, nisi juxta Regulae statum tempore professionis, ac noluisse ad amplius se obligare, nisi ad illam Regulam sic relaxatam (l. 4. n. 44.).

17. Quoad alterum vero, quomodo scilicet votum obedientiae obliget ad regulae custodiam, observan-

dum est, an regula obliget sub culpa, prout obligat in votis, ac in iis, quae ad vota pertinent; et in hoc casu ejus transgressio est mortalis, si res sit gravis; venialis, si res levis fuerit. Si vero non obliget sub culpa, ejus transgressio non est quidem ex se nec mortalis, nec venialis: ut tamen docet Lig. l. 4. n. 10., vix in praxi fieri potest, ut qui regulam violet, non peccet saltem venialiter; tum quia cujuscumque regulae transgressio nequit, nisi raro, ad legitimum finem referri; tum quia cujuscumque regulae violationi semper annexum est nonnihil sensualitatis, curiositatis vanae, negligentiae, acediae, illiusque otiositatis, de qua *rationem reddent homines in die judicii.*

18. Id caeterum dicendum, si regulae violatio sit per modum actus: quaeritur enim, an peccet graviter Religiosus intendens tantum servare illius mandata, quae obligant sub gravi; alia vero omnia statuat transgredi, vel negligere? Ad quod respondet quidem Lig. n. 11. quod non peccat graviter nec ratione contempus, nec quia graviter tenetur tendere ad perfectionem. Non 1.^{m}, quia tunc adesset contemptus formalis, quando Regulam transgrederetur vel animo se illi non subjiciendi, vel tamquam inanem. Non alterum, quia eo ipso, quod Religiosus velit servare praecepta obligantia sub gravi, quae respectu caeterorum fidelium sunt mera consilia, eo ipso etiam aliquo modo jam tendit ad perfectionem. Subdit tamen, quod difficillime ex aliis capitibus excusari potest a mortali; ac praesertim ob damnum, quod Religioni infert. Quod enim afferens grave detrimentum Religioni graviter peccet, probatione non eget. Po-

test ne autem Religioni afferri majus detrimentum, quam alios pravo exemplo inducendo ad Regulae laxitatem (n. 12.)?

19. Duplex demum peccatum committit ex Lig. qui contra Superioris praeceptum operatur; quia peccat et contra Religionem ratione voti, et contra virtutem obedientiae, quam Religiosus de se debet Praelato ratione promissionis, et traditionis factae de seipso in professione, ob quam etiam, praescindendo a voto, tenetur legitimo Superiori obedire (n. 46.). Quo etiam loci advertatur ex Trid. *sess.* 25. *de Regul. c.* 4. *quod non licet Regularibus a suis Conventibus recedere, etiam praetextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab iisdem missi, aut vocati fuerint.* Additque Clemens VIII. Const., quae incipit *Nullus* etc. *Nullus e Conventu egredi audeat, nisi ex causa, et cum socio, licentiaque singulis vicibus impetrata a Superiore.* Hinc scribit Lig., quod ex communi DD. e Monasterio egredi sine Superioris licentia ex genere suo est mortale (n. 37.).

Caput III.

De Monialibus; ubi et de Clausura, et donis omnium Regularium.

20. Quae ad Moniales peculiariter spectant, in ea, quae pertinent ad Clausuram, et collocutionem cum iisdem; ad deputationem, ac munera Confessarii; ac demum ad Monasterii regimen, dispescimus. Et 1.° quoad Clausuram, haec quidem afficit Monasteria tam

virorum, quam Mulierum. Et quidem Mulieres ingredientes in Monasteria virorum, praeter peccatum mortale, incidunt quoque ipso facto in excommunicationem Pontifici reservatam, reservatione tamen generali, et a qua excusat ignorantia etiam vincibilis, et crassa: idque sive faciant praetextu, sive absque praetextu, quod habeant de hoc privilegium, ut advertit Lig. l. 7. n. 230. ex Decl. S. Pii V. Bulla *Romanum Pontificem*; si tamen illud revera non habeant, vel revocatum fuerit. Quam excommunicationem incurrunt quoque Superiores illud permittentes: ac si agatur de FF., qui dicuntur *Minores de Observantia*, in eam incidunt tam Praelati, quam subditi Mulieres introducentes, remanentque ipso facto privati suis officiis, et inhabiles in futurum. Permisit tamen Ben. XIV. Bulla *Regularis* nobilibus foeminis de familia Fundatorum, vel insignium Benefactorum, nec non consanguinibus, et affinibus eorum, qui sunt Domini in temporalibus locorum, in quibus Monasteria sita sunt, ac de hoc Indultum Apostolicum obtinuerint, ingredi virorum Monasteria, dummodo exhibeant Episcopo Apostolicum Indultum, et ad Ecclesiam recto tramite pergant. At simul revocans quod permissum fuerat a Pio V. Const. *Decet Romanum Pontificem*, ut mulieribus ingredi liceret Regularium Claustra Processionum, vel pietatis causa. Haec quoad Monasteria virorum.

21. Quoad mulierum vero in eamdem quoque excomm. ipso facto incidunt tam viri, quam mulieres ingredientes Clausuram Monialium vel absque Superiorum facultate, vel cum hac, sed absque justa cau-

sa; nec non Moniales ingressum permittentes, vel cum ex officio impedire id deberent, non impedientes, ex Trid. sess. 25. c. 5. ubi ita dicitur: *Ingredi autem intra septa Monasterii nemini liceat, cujuscumque generis, aut conditionis, sexus, aut aetatis, sine Episcopi, vel Superioris licentia in scriptis obtenta, sub poena excommunicationis ipso facto incurrenda.* Sicut etiam ex Const. Greg. XIII. incipiente: *Ubi gratiae.* Hinc etiamsi ingressus sit absque praetextu facultatum, excommunicatio incurritur, ut ex relatis Trid. verbis manifeste colligitur, et videre quoque est apud *Pav. Luce etc. n.* 129. Nedum tamen Monialium Clausuram violantes in excommunicationem ipso facto incidunt Papae reservatam, sed in eamdem quoque incidunt ipsae Moniales, quae eam violent, etsi egrediendo extra Clausuram uno tantum pede, modo etiam toto corpore; estque etiam Papae reservata reservatione generali, sed a qua excusat sola ignorantia invincibilis: sicut etiam *qui extra casus a jure permissos facultatem a Clausura egrediendi illis concedant, vel ad id consensum, aut favorem praestiterint eas comitantes, aut receptantes*, ex Const. S. Pii V., quae incipit *Decori.* Casus autem, ob quos permittitur egressus, sunt ex eadem Const. casus *magni incendii, vel infirmitatis, leprae, aut epidemiae*; quibus etiam accensendi sunt alii similes, ut belli imminentis, inundationis fluminis, aedificii ruinae, etc., ut diximus quoque l. 1. n. 101. Quoniam vero epidemiae nomine venit omnis morbus contagiosus, casu, quo Monialis infirma nequeat in Monasterio curari absque periculo infectionis aliarum, ex C. *Periculoso*

de statu Reg. in 6., recte advertit Lig., non sufficere ad egrediendum infirmitatem gravem sine periculo infectionis aliarum, tum quia hic casus non excipitur in Const. Pii V., tum quia secus magnum sequeretur damnum Clausurae, cum tales morbi in Monasteriis sint frequentes. Praeterea ubi patet aditus, et tempus, omnino requiritur ex eadem Const. ad egrediendum licentia in scriptis ab Episcopo: etiamque a Praelato Regulari, si Monasterium sit exemptum, cum ibi dicatur: *Sitque causa haec cognita, probata, atque in scriptis expressa per Superiores, et simul per Ordinarium.* Ac demum cessata egressus causa, statim Monialis tenetur reingredi; secus peccat mortaliter, non tamen incurrit excommunicationem, quia jam egressa est cum licentia; ac excusatur etiam a mortali, si moretur extra per unum tantum, vel duos dies, quia illud *statim* intelligendum est moraliter (l. 7. n. 229.).

22. Quaenam autem requirantur, ut ingredientes in Clausuram Monialum a peccato, et excommunicatione excusentur, videndum modo est, ac diutius explicandum. Et 1.° *necessitas ex parte Monasterii*, ex Trid. ajente: *Dare autem tantum Episcopus, vel Superior licentiam debet in casibus necessariis* (*sess.* 25. c. 5.). Diximus *ex parte Monasterii*, non enim effugeret excommunicationem mulier, quae adhuc cum Ordinarii licentia intraret Monasterium causa adulterii, vel dissensionis cum viro; vel ne redeat ad vomitum, ex Decr. S. C. Sicut etiam quae in illud ingrederetur, etsi cum eadem licentia ad docendam Monialibus artem, nisi quando in Monasterio non

adesset alia perita, ex alio Dec. S. C. ap. Lig. l. 7. n. 225.; non tamen ad sonum, vel cantum docendum, ex aliis S. C. Decr. ap. Ferr. V. *Moniales art. 4. n.* 39. Bene tamen necessitas ex parte Monasterii non est sticte intelligenda, sed late, pro quacumque scilicet rationabili causa: neque in necessitatibus urgentibus, quae moram non patiuntur, et alias grave damnum immineret, requiritur ulla licentia ad ingrediendum, prout in casu mortis, incendii, violentiae, et similium, ex dictis l. 1. n. 101.

23. Requiritur 2.° *licentia in scriptis* ex relatis Trid. verbis n. 20.; quod tamen non esse necessarium in foro conscientiae, non est improbabile ex Lig., cum non constet, an Scriptura a Trid. requiratur tantum pro forma (l. 7. n. 223.): et quamvis requiratur in scriptis, talis tamen non requiritur in casibus ordinariis, quando causa est manifesta, puta in ingressu Medici, Confessarii, coementarii, et similium operariorum, quorum repentina opera passim indigent Moniales (*ibid.*).

24. Requiritur 3.° *licentia specialis*, debet namque Superior scire, non tantum ministerium ingredientium, sed qualitates etiam personarum. Ac demum praedicta licentia concedenda est ab Epicopo, si Monasterium sit ipsi subjectum, vel immediate subsit Summo Pontifici: si vero subsit Regularibus, concedi potest, et debet a solo Praelato Regulari, scilicet vel Generali, vel Provinciali, vel etiam ab immediato Superiore Monasterii, modo non vigeat alicubi consuetudo, quod ab Episcopo concedatur, ex Decr. S. C. die 21. Maji 1630. approbato ab

Urb. VIII. Potest tamen ab Episcopo delegari Abbatissa, vel Confessarius, vel alius vir prudens ad hanc licentiam concedendam: nec solum Episcopus, sed ejus etiam Vicarius Generalis potest ejusmodi licentiam concedere sine speciali mandato, si agatur de Monasteriis Episcopo subjectis, cum possit omnia, quae Episcopus potest de jurisdictione ordinaria, utpote cum ipso unum faciens Tribunal; non tamen si agatur de Monasteriis Sedi Apostolicae subjectis, cum iis praesit Episcopus, tamquam Delegatus.

25. Quibus praemissis, advertendum est 1.°, Medicum ordinarium non posse ingredi sine licentia renovata in singulis trimestribus, ex Decr. S. C. *die* 27. *Martii* 1588; debetque associari a duabus Monialibus senioribus, ac solus intrare, nisi infirmitas sit valde gravis. Medicus vero extraordinarius nequit ingredi ad libitum Monialium, sed tantum in defectu ordinarii, vel quando cum ordinario habendum est collegium. 2.° Confessarium cum eadem licentia ingredi posse ad ministranda Sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae, et Extremae unctionis Moniali aegrotanti, quae ad Confessionale nequit accedere; et non solum in periculo mortis, sed quoties ex Regulae praescripto dispensatur Communio, immo quoties Monialis communicare consueverit. Debet tamen ingredi superpelliceo, et stola indutus, ac sic ibi morari; debetque egredi, quin ad aliam Monasterii partem se divertat: sique Confessarius sit saecularis, intrare debet sine socio, ex Decl. S. C.; si Regularis vero, habere debet socium probatae vitae, et maturae aetatis, ex Bulla Alex. VII. Sicut etiam dum Confes-

*

sarius Confessionem audit, debent comitatrices ad januam assistere, ita ut eum videre possint: ac si Monialis laboret in extremis, potest quoque in Monasterio pernoctare, ex Decl. S. C. 3.° eum, qui ingressus est cum licentia, et debita causa, excusari saltem a mortali, si finito negotio, statim non egrediatur, dummodo mora sit brevis, cum in hoc praecepto non immorandi bene admittatur parvitas materiae ex communi. Immo, ut docent Sanch., aliique, nec Lig. improbat, is, qui parum immoratur, excusatur etiam a veniali, tum quia sic usu receptum est etiam apud viros timoratae conscientiae; tum quia cum hoc praeceptum sit morale, morali modo intelligendum est: quam moram brevem subdit ex Diana, aliisque esse quadrantem. Si autem diutius immoretur, peccat quidem graviter, sed non incurrit censuram in violantes clausuram; quia haec tunc solum violatur, cum sine licentia, vel cum hac sine justa causa usurpatur ingressus: 4.° admitti non posse in Clausuram infantes nondum doli capaces, etsi foemellas; easque introducentes incurrere censuras violatae clausurae, S. C. Ep., et Reg. pluries declaravit, et signanter *in Tudert.* 7. *Apr.* 1579., *et in Neap.* 22. *Mart.* 1580.: sicut etiam colligitur ex ipsis Trid. verbis supra relatis n. 21. Quo etiam loci notandum, quod de ipsis Monasteriis virorum cum quaesitum fuisset, an immunes sint ab excommunicatione introducentes infantes alterius sexus ante rationis usum in Monasterii septa? Et Cardinalis S. Severinae Major Poenitentiarius, et Clem. VIII. ea de re consulti, responderunt, excommunicationem ab iis incurri, ut videre est apud Colet *tract. de leg.*

c. 5. *qu. III.*: 5.° demum, quod in Clausuram Monialium prohibetur quoque ingressus ipsis Praelatis, sive Saecularibus, sive Regularibus ex motu Greg. XIII incipiente *Dubiis*, sub poena interdicti ab ingressu Ecclesiae Praelatis saecularibus, si praeter casum necessitatis prima vice ingrediuntur; suspensionis a munere Pontificali, et a Divinis pro secunda, et excommunicationis pro tertia. Praelati vero Regulares incurrunt excommunicationem, et privationem omnis officii, et ministerii, etiam pro prima vice, ex quibusdam; ex aliis vero tantum pro tertia vice. Causa autem Visitationis, vel necessitatis possunt Episcopi ingredi Monialium Monasteria: debent tamen esse, ut ab eodem Greg. praescribitur, *a paucis, iisque senioribus, ac religiosis personis comitati*; ubi pro *paucis* intelliguntur quatuor, vel quinque; pro *religiosis* qui sint probatae vitae: qua super re advertendum simul cum Tamb., et de Alex., quod si Ep. ingrederetur solus, vel non adhiberet comitantes senes, vel non religiosos, vel non paucos, non incurreret poenas, cum hae afficiant tantum Praelatos absque necessitate ingredientes: sicut etiam, quod Episcopus, dum Moniales visitat, potest sermonem ad ipsas habere tam extra, quam intra Claustra, ut non semel declaravit S. C. (*Pav. Spicil. n.* 278.). Pro Superioribus Regularibus vero decrevit Alex. VII., quod possunt quoque visitare Monialium Monasteria ipsis subjecta: sed 1.°, quod si visitet Generalis, potest secum habere duos tantum sui Ordinis socios, qui sint exemplaris, et maturae aetatis; si alius, unum tantum; ac insuper assistere debent quatuor Monia-

les ex senioribus, quae non separentur a Visitatore; 2.° quod semel tantum in anno, ita ut in eo anno, in quo unus ex eorum Superioribus, sive Generalis, sive Provincialis, sive alter ex illis Monasterium visitaverit, alius Superior ab ejus visitatione omnino abstinere debet: 3.°, quod si necessarium fuerit ob aliud ingredi, tunc non aliter ingrediantur, quam cum praesentia Episcopi Dioecesani, vel alterius personae Ecclesiasticae saecularis boni exempli, et maturae aetatis ab ipso Episcopo ad hoc specialiter deputatae.

26. Quoad collocutionem autem cum iisdem aliud de jure communi non habetur, nisi quod prohibitum primo fuit a Bonif. VIII. colloqui cum Monialibus Const., quae incipit *Periculoso* etc.; et in Conc. Later. anno 1179. lata fuit excommunicatio ferendae sententiae contra Laicos, et suspensio pariter ferendae sententiae in Clericos frequentantes Monasteria Monialium. Id autem postea confirmatum fuit a Trid. *sess.* 23. *c.* 5. *de Reform.*: pluribusque Decretis idem subinde districtius vetitum fuit Regularibus: qua super re advertit tamen Lig., quod cum ap. S. C. Conc. quaesitum fuisset, an Regulares accedendo ad colloquendum cum Monialibus absque licentia Episcopi peccent mortaliter, etiamsi accedant ex rationabili causa? S. C. *die* 22. *Nov*. 1682. respondit, non licere absque licentia Episcopi. Idemque habetur in Bulla *Gravissimo* edita *die* 31. *Oct*. 1749. a Ben. XIV., in qua refertur, vetitum fuisse Regularibus a S. C. accedere sine licentia Episcopi ad Monasteria Monialium, nec etiam ipsis subjecta. Quibus positis, videtur, hodie Regulares (quidquid

alia Decreta prius statuerint, quae in desuetudinem abierunt) licite posse accedere toties quoties ad colloquendum cum Monialibus ex licentia Episcopi (*edit. ult. l.* 7. *n.* 232.). Licentia tamen colloquendi cum Monialibus Regularibus subjectis est concedenda ab ipso Superiore Regulari, ut docet Ben. XIV. *l.* 13. *de Syn.* c. 12. *n.* 23., nisi consuetudo obtinuerit, quod concedatur vel a solo Episcopo, vel ab Episcopo simul, et Superiore Regulari, cum servanda sit consuetudo. Haec igitur praescripta sunt de jure communi; et quidem, ut advertit Ferr. *V. Moniales art.* 4. *n.* 4., *lex prohibens accessum ad Moniales ex genere suo est de re gravi: unde accessus ad Moniales potest ab Ordinario fieri casus reservatus, immo potest ab ipsis prohiberi sub poena excomm. latae sententiae, ut decrevit S. C.* 6. *Maji* 1633.: pro quo tamen intelligendum non esse solum accessum, sed accessum cum collocatione advertit *Pav. in Spicil. n.* 262. Sicut etiam advertendum, quod bene in hoc datur parvitas materiae, quam censet Lig. esse horae quadrantem: advertens simul, quod si quis multoties per plures dies colloqueretur cum aliqua Moniali per aliquod tempus continuatum etiam per se non notabile, non excusaretur a mortali, et ab excommunicatione, quae subesset, quia tales collocutiones, licet non physice, moraliter tamen conjungi viderentur (l. 7. n. 236.).

27. Eximuntur autem ab hac prohibitione 1.° conjuncti in primo, aut secundo gradu consanguinitatis ex variis Decr. ap. *Ferr. V. Moniales art.* 4. *n.* 11.; utque etiam exprimitur in casu Neapoli reservato;

exceptis tamen diebus vetitis, vel peculiaribus Monasterii Constitutionibus: exceptisque etiam Regularibus, qui numquam possunt Moniales, aut alias intra clausuram degentes alloqui sine Ordinarii licentia, ex Decr. Urb. VIII., aliisque S. C. Decr. (*Lig. l.* 7. 232., *et Ferr. l. cit. n.* 12.). 2.° Confessarii, sive ordinarii, sive extraordinarii. Cumque iis etiam prohibuissent colloqui cum Monialibus Episcopi Caputaquensis, et Amalphitanus, S. C. Episc., et Regul. iisdem scripsit, reprobans, quod gesserant, et praescribens, quod talem prohibitionem auferrent (*ap. Pav. Spicil.* §. 267.): 3.° pauperes, et publice quaestuantes, ex usu, et tacita Superiorum licentia: sicut etiam famuli deferentes dona, ac breviter se expedientes: 4.° loquentes cum Abbatissa, saltem non improbabiliter ex Lig., quia ut plurimum eliguntur ex senioribus, et prudentioribus, ac frequentiorem necessitatem habent tractandi cum extraneis. Ad Const. autem Alex. VII. *Sacrosancti*, in qua prohibetur collocutio etiam cum Abbatissis, Priorissis etc., Lig. respondet, Decretum illud fuisse particulare pro Urbe Roma, forte ob peculiares causas ibi emergentes (l. 7. n. 238.). Impuberes autem non excusantur quidem a peccato, sed excusantur ab excomm. in Dioec. Neap., et verius etiam ubicumque collocutio cum Monialibus sub excomm. prohibetur, ex c. *Pueris de delict. puer.*, ubi dicitur, *pueros non esse puniendos sicut puberes.* Quoad Regulares vero, tametsi non subdantur Episcopo, non semel tamen declaravit S. C., ac prius etiam Greg. XV. Bulla, quae incipit *Inscrutabili*, quod iis etiam potest Episcopus prohibere collocu-

tionem cum Monialibus sub poena excommunicationis, quia collocutio cum iisdem pertinet ad Clausuram, respectu cujus Episcopus est Delegatus Sedis Apostolicae; quare etiam si illam sibi reservaverit, nequeunt Praelati Regulares ab ea absolvere suos subditos. Excipit tamen Lig. quoad excommunicationem Regulares, qui obtinuerint privilegium post Bullam Greg. XV., quod nequeant excommunicari, vel suspendi ab Episcopo, quale habent Mendicantes ex Compend. Priv. *V. Exemptio*, et Religiosi Soc. Jesu ex Bulla Pauli III.: hujusmodi enim privilegium importare debet, quod contra eos Episcopus, neque etiam ut Delegatus Sedis Apostolicae possit procedere, quia cum Regulares ordinarie in aliis sint exempti a jurisdictione Episcopi, quando Episcopus contra eos procedit, semper ut Delegaus procedere debet (l. 7. n. 241.). Demum, etsi tan exteri, quam ipsi Episcopi peccent accedendo ad colloquendum cum Monialibus existentibus in aliena Doecesi, vel intra cum exemptis, non incurrunt tamen excommunicationem ex Lig. l. 7. n. 243.; dicitur enim in Bulla *Gravissimo* edita a Ben. XIV., quod tam Episcopi, quam exteri sunt quidem subjecti Constitutionibus Ordinarii loci quoad auctoritatem dirctivam, non vero quoad coactivam. Nec refert, quod Episcopi sint Delegati Apostolici circa Clausuram Monialium, eorum enim jurisdictio quoad hoc est ordinaria, quia perpetuo annexa Episcopali officio.

28. Sequntur modo quae pertinent ad deputationem Confessarii pro Monialbus, ejusque munera. Et 1.° etiam pro Monialibus Regularibus subjectis debet il-

lum Episcopus deputare ex decr. Greg. XV., et Clem. X.; ac ex Bulla *Apostolici Ministerii* edita ab Innoc. XIII., et confirmata a Ben. XIII., ubi declaratum fuit, quod Confessarii Monialium etiam exemptarum debent examinari, et approbari ab Episcopo Dioecesis, *remota quacumque contraria consuetudine etiam immemorabili*. Caeterum si Moniales Episcopi subjectae aeque ac Saeculares ex Lig. subjacent casibus, et censuris ab Ordinario in Dioecesi generaliter reservatis, quia cum verba generalia concurrunt cum verisimili mente Legislatoris, tunc omnes comprehenduntur, qui in lege non sunt expresse excepti: probabilius tamen ex eod. Lig. iis non subjacent Moniales exemptae, praeterquam si respiciant Clausuram, respectu cujus Episcopus, ut dictum est n. ant., est Delegatus Sedis Apostolicae, tum quia sunt extra jurisdictionem Episcopi, et approbatio Confessarii pro iisdem respicit tantum illius idoneitatem; tum quia in Bulla *Superna* Clementis X. dicitur quoad easdem, posse Episcopum limitare locum, tempus, et personas, nulla facta mentionem casuum (*App. De priv. §. LXVII., et l.* 6. *n.* 602.). Advertit quoque Lig., quod prohibentur eligi in Confessarios Monialium Vicarii Generales, Canonici Pœnitentiarii, Parochi, si cura, cui praesunt, notabiliter laederetur, omnesque Regulares ex plur. Decr. S. C. (l. 6. n. 577.); a qua etiam fuit pluries declaratum, quod Confessarii Monialium elapso triennio suspenduntur ab audiendis earum Confessionibus, nisi licentiam S. C. obtineant; quod et valet pro Confessariis Conservatoriorum (*ibid.*). Decreverat quoque Trid. *sess.* 25. *c.* 10. *de*

Regul., quod praeter Ordinarium concedendus est Monialibus, etiam in Conservatoriis degentibus, quae unicum Confessarium ordinarium designatum habeant, bis, aut ter in anno Confessarius extraordinarius. Hic autem pro exemptis esse debet saltem semel in anno vel saecularis, vel alterius Ordinis, *si, pensatis rerum circumstantiis, ita Episcopus expediens judicaverit*, ex Bulla Ben. XIV. *Pastoralis curae*, ut diximus l. 1. n. 142.: at Moniales, ut idem Ben. declaravit, tenentur quidem se illi sistere, quod et debetur ab omnibus, et singulis in Monasterio commorantibus etiam educationis causa, non vero confiteri, si nolint; eoque tempore Confessarius ordinarius nec ullius Monialis, nec ipsius Abbatissae, vel Novitiarum audire debet Confessiones. Qua super re advertit quoque Fagn., praeceptum offerendi Monialibus, etiam in Conservatoriis, ut dictum est, degentibus, bis, vel ter in anno Confessarium extraordinarium, obligare sub mortali, cum ejus finis sit gravissimus, ut ex se patet (*In suppl. Formul. ad* 2. *Tom. n.* 338.); qui tamen potest a Superiore deputari quolibet anni tempore, et ad dies sibi bene visos, prout suadent circumstantiae hic, et nunc concurrentes; et expleto officio expedit, ne amplius accedat, ut videre est ap. *Ferr. art.* 5. *n.* 41. Porro, sive extraordinarius sit, sive ordinarius, requiritur circa eorum aetatem juxta quamdam Encycl. de Mand. SS. apud eumd. *Ferr. l. cit.*, ut sint *aetate provecti, prudentes, zelantes, et vita exemplari conspicui*: statuitque item Ben. XIV. in Bulla sup. laud., quod obfirmate recusans aliqua Monialis confiteri Confessario Ordinario, sive Mo-

nasterium sit Episcopo subjectum, sive ab illo exemptum, potest Episcopus illi concedere Confessarium extraordinarium, qui ejus excipiat Confessiones pro tot vicibus, quot expedire judicabit: quod et decrevit pro Moniali, qui idem optet pro majori sua quiete, atque ulteriori in via Dei progressu; nisi in utroque casu aut Monialis postulantis, aut Confessarii requisiti qualitas aliter faciendum suadeat: hortans demum generatim Episcopos, ne sint difficiles ad concedendum extraordinarium Confessarium peculiaribus Monialibus illum aliquando petentibus.

29. In exercitio autem sui muneris scire debet praeterea Confessarius 1.° quod Confessionalia pro Monialibus vetita sunt in Sacristiis, aliisque locis occultis. Docet tamen Lig., l. 6. n. 577. quod in necessitate licet earum Confessiones audire in alio loco, modo vitetur aspectus Confessarii, et Monialis: 2.° quod fenestrella Communionis deservire nequit pro Confessionario neque etiam per modum provisionis, 3.° quod cum omnes Ordines Regulares communicent in privilegiis aliorum Ordinum, sive Mendicantium, sive non; hinc omnibus etiam privilegiis, quibus gaudent Religiosi ejusdem Ordinis, gaudent quoque Moniales, modo eorum sint capaces; idque etiamsi in privilegio exprimatur concessio fieri viris, aut masculis, et etiamsi Moniales sint Episcopo subjectae, ex Salm., Suar., et de Alex. Praecise autem quoad officii recitationem, Moniales Choristae, quae nesciant expedite legere, vel judicio Praelati, vel Confessarii, vel Abbatissae non sint satis instructae ad recitandum officium in Choro, satisfaciunt dicendo Officium Laicarum, ex concessione

Clem. VII. Monialibus Clarissis, et per communicationem aliis: et ex concessione Innoc. IV. Monialibus sub cura Fratrum Minorum degentibus, et per communicationem aliis, in casu, quo ex rationabili causa recitare non possint horas canonicas, satisfaciunt recitando officium Laicarum. Causa autem rationabilis esse potest, si Monialis sit valde scrupulis agitata, vel capitis indispositionem patiatur, vel sit nimis defatigata ex aliquo extraordinario labore, vel extraordinariam aliquam occupationem habeat, et hujusmodi; atque hoc privilegio uti possunt per se absque licentia Superiorum. Quae omnia videri possunt ap. *Ferr. V. Moniales, art.* 5. *et* 6. et ap. *Lig. l.* 4. *n.* 60. *et* 63.; ubi addit, quod Clem. VII. omnibus Regularibus infirmis, vel iis, qui infirmis incumbunt, concessit satisfacere per septem, vel sex Psalmos a Superiore assignandos cum septem Pater, et duobus Credo. Quodque Martinus V. concessit Monachis S. Hieron., ut qui sine taedio Officium non valent dicere ob infirmitatem, etiam postquam convaluerint, satisfaciant recitando id, quod suis Confessariis visum fuerit.

30. Ex iis demum, quae ad Monialium regimen spectant, alia respiciunt electionem, et auctoritatem Abbatissae; alia qualitates ingredientium, et quae earum professioni praemittenda sunt; alia observantias quasdam iis a S. Cong. praescriptas; ex quibus potiora, et quae usu frequentiora sunt, delibabimus. Et quoad 1., haec sunt sancita circa electionem Abbatissae: 1.° quod in Monasteriis non exemptis, vel Sedi Apost. subjectis debet ejus electioni praesidere

Episcopus; in exemptis vero Praelatus Regularis una cum Episcopo, ex Const. Greg. XV.; in quibus tamen Episcopus assistit tantum, sed vota non excipit, ex Decl. S. C. 2.° quod facta electione, debet in eodem loco confirmari a Praelato praesidente, scilicet ab Episcopo, vel Praelato Regulari in Monasteriis exemptis, vel a Sede Apost., si Monasterium sit illi immediate subjectum; sique Praelatus alium delegaverit ad praesidendum, potest ab eo absente confirmari, etiamque extra Dioecesim; nec ante confirmationem potest Abbatissa suum Officium exercere, ac intra annum benedicenda est, si consuetudo adsit, vel ab ipso Praelato, vel a simplici Sacerdote ex illius commissione: 3.° quod nequit eligi Abbatissa minor 40 annis, et quae octo annis post professionem laudabiliter non vixerit, ex Trid. *Sess.* 25. *de Regul. c.* 7.; alias electio est nulla, ex Decl. S. C., nisi vere alia sit inhabilis. Quod si hujusmodi non sit, nequit eligi alia habilior ex alia Decl. S. C. sine ipsius dispensatione. Si tamen desit in Monasterio quae talem aetatem habeat, ex eodem Trid. potest eligi Monialis habens 30 annos, et quinque professionis: 4.° quod cum electio fit per scrutinium, debent vota Monialium ex Trid. secrete praestari Notario, et 4., vel 5. aliis assistentibus, alias electio est nulla, etsi aliter fiat ex ignorantia, ex Decr. S. C. Sufficit tamen ad electionem major pars votorum ex communi: 5.° quod dato a Moniali suo voto, nequit amplius illud revocare: sique aliqua Monialis est in lecto infirma, ejus votum etiam est recipiendum vel per scriptum sigillo munitum, vel per duas Moniales a Praesidente ele-

ctionis deputatas, ex Decr. S. C. 6.° quod Moniales non tenentur Episcopo obedire circa electionem Abbatissae, aliarumque Officialium Monasterii, cum hujusmodi electio omnino ad ipsas spectet, ex Decr. S. C. 7.°, quod si electio ob discordiam non compleatur, potest Praelatus praefigere tempus ad electionem, quo elapso ipse Abbatissam deputabit, ut pluries S. C. declaravit: 8.° quod Abbatissae possunt eligi per triennium, vel per singulos annos, sed non ultra triennium, secus electio est nulla: quo elapso, debet Abbatissa triennalis per triennium vacare, ex Const. Greg. XIII. *Exposcit.* Neque in Vicariam eligi potest, si forte nova Abbatissa deficiat, praecipit enim Pontifex, ut Abbatissa anterior *per triennium omni prorsus careat auctoritate.* Quia tamen Bullae loquuntur tantum de veris Monialibus professis, bene potest in Collegiis oblatarum eligi Superior perpetua.

31. Quoad ejus vero auctoritatem, et 1.° spiritualem, potest Abbatissa Monialibus praecipere, easque in conscientia obligare circa res, quae a Regula sunt praeceptae, vel quae ad profectum Monialium juxta Regulam conveniunt. Per votum namque obedientiae obligantur Moniales ad obediendum omnibus suis legitimis Superioribus, qualis proculdubio respectu earum est Abbatissa, cum enim Pontifex Religionem approbat, approbat pariter inter Moniales ordinem Superioritatis, et subjectionis, utpote sine quo nec Monasterium, nec Regula servari posset. Potest etiam ratione potestatis dominativae, quam ob idem obedientiae votum habet supra suas subditas, sicut habent Parentes super filios, irritare Monialium vota,

sive de re superorogatoria, sive de re circa Regulas. Novitiarum autem vota non potest quidem irritare, potest tamen eorum executionem suspendere, si probationi officiant. Ob ejus vero auctoritatem circa temporale, habet bonorum sui Monasterii administrationem, nisi obstet Regula, vel consuetudo; de quibus proinde, modo superflua, potest sine ullius consensu moderatas eleemosynas erogare. Potest quoque in rebus parvi momenti contractus per se inire; in gravioribus tamen nonnisi cum consensu Capituli, ex c. *Ea noscitur*, *de his*, *quae fiunt a Prael.* Idque prasertim si recipiantur pecuniae ad mutuum, quae postea non applicentur in utilitatem Monasterii; aliter Monasterium non remanet obligatum. Neque vero potest, etiam cum consensu Capituli, vel remittere debitum, vel legato renuntiare; cum nequeant Moniales laedere Monasterium, quod jam acquisivit jus ad rem.

32. Quoad qualitates ingredientium in Monasteria, earumque professioni praemittenda, praeter ea, quae diximus n. 2., addendum 1.°, quod nequeunt in Monasteria Monialium recipi in educationem puellae absque expressa licentia S. C. sub poena violatae clausurae: ipseque Episcopus praebens ad id assensum in excomm. incideret ex variis decretis S. C. Episc., et Regul. 2.° quod nequeunt secum ferre ancillas, nec esse possunt vel minores septennio, vel annis 25. majores. 3.° quod si egrediantur, nequeunt denuo ingredi absque nova S. C. licentia: sine qua nequeunt quoque conjugatae admitti; nec absque ea admitti ad professionem Religiosam, quae habeant duas alias sorores Moniales in eodem Monasterio: obten-

taque licentia, ut admittatur, expers tamen est vocis activae, et passivae, donec una ex ejus sororibus obierit. 4.° quod ex Trid. nequeunt puellae habitum Regularem suscipere ante 12. annum completum; et ante ejus susceptionem, sicut et ante professionem intra 15. dies exploranda est earum voluntas ab Episcopo, vel, eo impedito, ab ejus Vicario, vel alio deputato: qua tamen exploratione omissa, graviter quidem peccaretur, sed valeret professio. Notant caeterum Salm., explorationem hujusmodi ex consuetudine fieri semel, et tantum ante professionem. Episcopus autem potest, et debet illam facere etiam in Monasteriis exemptis. 5.° quod ex pluribus *Decr.* S. C. Episc., et Regul., puellae commorantes in Monasteriis Monialium causa educationis habere debent locum separatum a Monialibus pro earum et dormitione, et operibus.

33. Scitu demum necessaria quoad Monialium regimen sunt 1.°, quod Episcopus potest numerum Monialium statuere, ut omnes admissae commode sustentari possint: idque etiam in Monasteriis exemptis, decernens quoad haec quod expediens judicaverit simul cum Praelato Ordinis, ex Trid. *sess.* 25. *c.* 3., ex Const. S. Pii V., et ex aliis Decl. S. C. 2.° quod singulis annis tenetur Episcopus visitare Monasteria Monialium sibi subjecta per seipsum, vel ejus Vicarium cum suo speciali mandato. Monasteria autem Pontifici immediate subjecta etiam ab Episcopo sunt visitanda, sed auctoritate Apostolica: exempta vero a Praelato Ordinis, ex Clementina *Attendentes*, *de statu Monach.* Sed quoad observantiam Clausurae et-

iam Monasteria exempta visitari debent ab Episcopo, tamquam Sedis Apostolicae Delegato, ita ut nullatenus possit Episcopus impediri, ex Decl. S. Cong.; et praesumentes impedire, post tres monitiones excommunicationem ipso facto incurrunt, ex dicta *Clem.* 3.° quod in actu Visitationis Moniales ab Episcopo interrogatae, vel a Praelato Ordinis, tenentur veritatem aperire circa observantias Regulae, etiamsi transgressiones sint leves, cum ex earum contemptu oriatur inde totius Regulae relaxatio. Excusantur tamen a manifestando veritatem, 1.° si crimen sit emendatum: 2.° si crimen sit occultum, et nulla praecesserit infamia, vel indicium evidens. 3.° si constet Praelatum nullum remedium fore adhibiturum; vel si Monialis sciat, crimen jam denuntiasse alias, a quibus ipsa illud audivit, quia ad opus inutile nemo tenetur. 4.° si manifestatio vergat in damnum proprium. 5.° si crimen cognitum fuerit sub secreto naturali, nisi tamen redundet in damnum commune. 6.° habendum prae oculis quod Clem. XI. ac subinde etiam Ben. XIV. decrevit, jubendum nempe esse ab Episcopo sub praecepto formali obedientiae, sibimet quoque reservando illius transgressionem, ac transgredientes plectendo poena privationis officii, vocisque activae, ac passivae, aliisque suo arbitrio infligendis, ne ulla Monialis aliquam faciant expensam ob id, quod sibi ex officio incumbit, nisi Monasterii redditibus; idque nec pro Ecclesia, Sacristia, festivitatibus, aut dono Monialibus, vel Episcopo faciendo; nec Monasterii Praelatam id permittere debere: nisi aliter Episcopus judicet ab ea permittendum esse ob pauperta-

tem Monasterii, ex eo tamen, quod Monialium necessitatibus supersit ab earum vitalitiis; quod et statuit pro Monasteriis exemptis, et pro Conservatoriis. Nec non quod decrevit S. C. Episc., et Reg. die 22. Jan. 1591.: *Non liceat Episcopis, cum Novitiae vestiuntur, vel professionem emittunt, a propinquis, vel ab alio quocumque dona tam comestibilia, quam alia, et etiam parvi valoris, accipere; neque ab Abbatissis in ingressu officii; sed ab eisdem comestibilia tantum in aliquibus solemnitatibus nomine totius Monasterii, etiamsi antiquissima inoleverit consuetudo.* Quae omnia ap. *Ferr. V. Moniales art.* 2.

34. Ex pluribus item S. C. decretis iis prohibetur, ne umquam Clausurae januam aperiant; nisi ob ingressum Medici, Confessarii, et hujusmodi, utque ea in Monasterium introducant, quibus per Rotam aditus non pateat. Qua super re docet Lig., quod si aperto ostio loquantur cum Saecularibus, potest Episcopus id sibi reservare (l. 6. n. 602.). Pluribus quoque ipsius S. C. Decr. iis prohibetur uti Confessionario pro locutorio; vel fenestrella Communionis ad loquendum cum exteris; vel locutorium habere in Ecclesia; vel demum uti pro collocutorio Rota, vel cratibus in Ecclesia existentibus: quae omnia videri possunt apud *Ferr. l. cit. art.* 6. Jussit quoque Clemens VIII, unamquamque Monialem debere solam dormire; ideoque tot cellas in unoquoque Monasterio faciendas esse, quot ibi degunt Moniales; quod et declaravit S. C. Episc. et Regul. ap. Lig. l. 7. n. 229. Demum idem Clemens VIII. peculiari Constitut., quae incipit *Religiosae*, prohibuit Religio-

sis subditis, et Superioribus sub poena privationis officii, et vocis activae, et passivae, et inhabilitatis ipso facto incurrendae, 1.° quidlibet donare, sive nomine proprio, sive Conventus, etiam suis Religiosis, aut Praelatis, nisi adsit consensus Capituli generalis; praeter esculenta, et poculenta, et res devotionis modici pretii, aliudve, quod eleemosynae, vel hospitalitatis titulo daretur cum licentia Superiorum. 2.° convivia frugalitati Religiosae contraria ob quamcumque personam, aut festivitatem parare. 3.° ne quisquis dona accipiens contra ejus Constitutionem ullum de iis dominium praesumat habere, quae proinde teneatur Monasterio restituere; et nec absolvi possit, nisi prius restituat, nec talis restitutio possit condonari, aut fieri pauperibus. Urb. VIII. tamen alia Const. quae incipit *Nuper*, licet confirmasset Const. Clem., aliquibus tamen moderationibus eam temperavit. Et 1.° quoad dona permisit ea, quae fiunt propter actum virtutis, et meriti, sive nempe propter eleemosynam, sive propter remunerationem, aut gratitudinem, cum consensu tamen Praelati, etsi oretenus, maxime cum haec non veniant, ut bene advertit Croix, sub nomine munerum. Immo, ut addit Lig., potest Religiosus plus donare, quam accepit usque ad excessum quartae partis, quia postulat gratitudo ex D. Th. ut semper plus reddatur, quam sit acceptum, (l. 3. n. 21.). 2.° quoad convivia, permisit ea, quae fiunt in adventu Ordinariorum, aut Benefactorum, modo non adversentur decentiae Religiosae. 3.° quoad restitutionem donorum, permisit, posse eam fieri etiam propinquiori Monasterio, si commode non pos-

set fieri proprio. Haec Urbanus. Aliquid tamen modicum, ac moderatum donare cum Superioris permissu, etsi ex mera benevolentia, et maxime si ex justa causa, ut animi ex. gr. erga Monasterium alliciantur, vel ad hoc, ut ab aliqua vexatione illud eximatur, vel simili alia, DD. non improbant. *Lig. Homo Apost. tract. XIII. c. 1. punct. 2. n. 8., et 9.*

TRACTATUS II.

DE STATU CLERICALI.

CAPUT I.

De Clericis Beneficiariis, seu de Beneficiis Ecclesiasticis.

35. Definitur Beneficium Ecclesiasticum *jus perpetuum auctoritate Ecclesiae constitutum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae propter officium aliquod spirituale.* Distinguitur autem in duplex, et simplex: 1. est, *quod adnexam habet curam animarum, vel administrationem, aut jurisdictionem, aut dignitatem.* Alterum, *quod nullam imponit obligationem, nisi obeundi Divina officia.* Item alia dicuntur electiva, alia patronata, alia libera. Primi generis sunt, *quae acquiruntur per suffragia electorum in persona idonea; vel per postulationem eorumdem penes Superiorem, ut Beneficium provideat in persona, quae de jure non esset idonea.* Secundi generis, *quae acquiruntur per praesentationem Patroni praeviam, et institutionem su-*

binde factam a Praelato Ecclesiae in persona idonea; per quam institutionem acquiritur jus in re ad Beneficium, cum praesentatio non det, nisi solum *jus ad rem*, ita ut Beneficium alteri conferri nequeat. Tertii generis, *quae nulli subsunt juri Patroni*, *sed solo Praelati jure conferuntur.* Tripliciter proinde acquiruntur Beneficia; per electionem nempe, vel postulationem; per praesentationem; et per collationem liberam.

36. Jus Patronatus vero definitur *potestas praesentandi ad Beneficium Ecclesiasticum vacans*: estque duplex; Ecclesiasticum, idest *quod alicui convenit ex aliquo titulo Ecclesiastico*: et laicale, *quod convenit alicui*, *quia ex bonis patrimonialibus Ecclesiam fundavit*, *vel dotavit*, *vel erexit.* Si patronatus porro sit laicalis, praesentatio fieri debet intra quatuor menses; si Ecclesiasticus vero intra sex; sicut etiam si sit mixtus: quibus elapsis, ac praesentatione non facta, Beneficium fit liberum, spectatque ad eum, ad quem spectat praesentatum instituere; nisi de patronatu adsit lis inter Episcopum, et Patronum, vel inter ipsos Praesentatos; secus, si lis sit inter patronos ipsos. Item si Patronus laicus post unum praesentet alium, potest Praelatus instituere quem maluerit: si vero Ecclesiasticus, prior tempore est quoque potior jure, ex C. *Cum authent. de jure Patronat.* Si autem ex pluribus Patronis alius praesentet Petrum, alius Joannem, potest Praelatus Beneficium conferre, cui maluerit, si aeque sint digni; secus, praeferre debet digniorem, etsi a minori Patronorum parte praesentatum, ex C. *Quoniam de jure Patronat.*, immo et tertio illud conferre poterit, eo quod Patroni non conveniant.

37. Qualis autem adsit obligatio in Beneficiorum collatione, non solum repellere indignos, sed et illa dignis, immo dignioribus conferre, primum videamus. Et sane quod Beneficia, etiam simplicia, indignis conferre, immo et ad illa praesentare, et eligere, sit mortale, nec ullus est, qui id vocet in dubium, nec probatione eget. Indignus autem est, *qui cum sit ineptus ad officium praestandum, censetur inutilis futurus Ecclesiae.* Ex quo damna Ecclesiae provenientia quis non videat? Certum quoque est apud omnes, ad Beneficia curata eligendos esse non solum dignos, sed digniores, idque sub gravi: declaravit enim Trid., mortaliter peccare *omnes, et singulos, qui ad promotionem praeficiendorum quodcumque jus quacumque ratione habeant, aut alioquin operam suam praestant, nisi quos digniores, et Ecclesiae magis utiles ipsi judicaverint, eorum exigentibus meritis, praefici diligenter curaverint* (*sess.* 24. *c.* 1.). Et c. 18., quod Episcopus ad curam animarum *eum eligat, quem caeteris magis idoneum judicaverit.* Nec omittenda hic est prop. damnata ab Innoc. XI. *Cum dicit Tridentinum, eos mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, et Ecclesiae magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium vel primo videtur per hoc* digniores *non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundo locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.* Idem autem magis confirmatur ex eo, quod ipsa Beneficia simplicia juxta communiorem, et probabiliorem sententiam non solum di-

gnis, sed et dignioribus sub gravi conferenda sunt; 1.° quia ita exigit major Ecclesiae utilitas, ut unusquisque hinc exstimuletur ad digniorem se reddendum: 2.° quia Praelatus Ecclesiasticus non est Dominus Beneficiorum Ecclesiae, ut ea dare possit pro libito, sed dispensator, pro ratione scilicet meritorum: 3.°, quia Beneficia non solum instituta sunt ob bonum commune, sed etiam, licet minus principaliter, ut meritis debitum praemium redderetur: 4.° quia cum sint bona communia, iis debentur, qui majoribus meritis praestant. Ex quibus rationibus simul congestis docet Lig., oppositam sententiam, quod non sit grave Beneficia simplicia minus dignis conferre, dignioribus posthabitis, omni probabilitate destitui (l. 4. n. 93.). Excipitur tantum, si posthabito digniori, Beneficium simplex detur digno, vel quia dignior praevideatur brevi dimissurus Beneficium, vel quia ex lege fundationis eligendus sit aliquis de familia, Collegio, etc., vel demum ut Clerico pauperi subveniatur.

38. Caeterum facta electione minus digni, posthabito digniori, ex satis probabili sententia nulla contrahitur restituendi obligatio nec digniori, nec Ecclesiae. *Non digniori*, quia ut Lig. disserit, tunc digniores jus strictum haberent ad Beneficia, si principaliter Fundatores meritorum rationem habuissent; non vero si minus principaliter, uti revera est, cum Beneficia primario instituta fuerint ob bonum commune, et secundario tantum ad favendum benemeritis de Ecclesia; ex quo sequitur, quod nullum jus rigorosum ad illa acquirunt nec digni, nec digniores. *Non Ecclesiae*, utpote cui tunc damnum irrogaretur, cum

eligeretur indignus, in qua profecto hypothesi tenerentur Electores illatum damnum Ecclesiae compensare. Excipitur tamen ex valde probabiliori sententia, ut eam Lig. appellat, si Beneficium conferretur per concursum; tunc namque eligentes dignum, posthabito digniori, non solum graviter peccarent, sed ad restitutionem quoque tenerentur illi, cui damnum intulere; cum in communi aestimatione tacita pactio intercedat in Edicto, ut dignior praeferatur, qui proinde ex quo ad concursum admittitur, acquirit jus ad rem. Quod confirmatur etiam ex Trid., in quo conceditur digniori appellatio, si praetermittatur, et concursus fuerit ad Beneficium curatum. Idem caeterum Lig. non audet improbabilem dicere sententiam oppositam: tum quia praedictum pactum, quod supponitur, vel habetur in Edicto, non videtur pactum rigorosum obligans ex justitia commutativa, sed tantum promissio obligans ex fidelitate, immo potius explicatio obligationis, quam Episcopus habet ex justitia distributiva, quae ad restitutionem non obligat: tum quia Beneficia non sunt principaliter instituta, ut diximus, in meritorum praemium, sed principaliter, immo unice, ut docet Lugo, ob bonum commune (l. 4. n. 109.).

39. Eamdem porro obligationem, quae electoribus, et collatoribus incumbit, eligendi ad Beneficia, eaque non conferre, nisi dignioribus, Patronis quoque incumbere quoad praesentandum; quodque de Beneficiis saecularibus diximus, dicendum quoque esse de Praelaturis Regularibus, iisdem rationibus supra allatis evincitur. Eadem tamen concurrentibus non in-

cumbit; ad concurrendum namque, ut D. Th. docet, *non requiritur, ut concurrens reputet se aliis meliorem, sed, etsi de ipso Episcopatu agatur, sufficit, quod nihil in se inveniat, per quod illicitum ei reddatur assumere praelationis officium* (2. 2. *qu.* 185. *art.* 3.). Quoad Examinatores autem jubet Trid., quod *jurent fideliter munus executuros* (*sess.* 24. c. 18. *de Ref.*); alioquin concursus est nullus, ex Decl. S. C. Conc. die 2. Dec. 1628.: peractoque examine, renuntient Episcopo quos idoneos judicaverint (*ibid.*). Quod cum jubeat Conc., ut Episcopus facilius, et tutius digniorem agnoscere, et eligere valeat, teneri etiam renuntiare Episcopo quem digniorem ex concursu judicaverint, consequens est.

40. Ut autem aliquis suscipere possit Beneficium aliquod, requiritur 1.°, *ut sit legitimorum natalium*, a quibus solum dispensare potest Summus Pontifex quoad Beneficia Ordines majores requirentia, et Ep. quoad illa, quae Ordines minores requirunt: 2.° *immunitas ab omni excommunicatione*; cum enim Beneficium detur propter Officium, sicut proinde excommunicatus, tametsi toleratus, inhabilis est ad Offic., ita inhabilis ex Lig. dicendus est ad Beneficium (l. 7. n. 179.). Ob quam rationem inhabilis quoque est ex Lig. ad Beneficium requirens exercitium Ordinis Sacri, qui ob irregularitatem nequeat hunc suscipere, vel exercere: quod confirmatur ex Trid. *sess.* 14. c. 7., ubi dicitur, quod irregularis *nullo tempore ad Sacros Ordines promoveri possit, nec illi ulla Beneficia Ecclesiastica conferri liceat*. (l. 7. n. 343.). Collatio tamen Beneficii suspenso facta esset quidem irritan-

da, sed non irrita ex Lig. l. 7. n. 316.: nulla enim poena infligenda est, nisi in jure sit expressa; nec solum nullibi haec poena habetur, sed potius ex C. *Cum bonae* 8. *de aetate, et qualit.*, cum aliqui per quadriennium mansissent in suspensione, mandavit Pontifex, expoliari Beneficiis tam ante, quam in suspensione acquisitis. Collatio igitur fuerat valida. 3.° *Clericatus*, seu tonsura, et voluntas clericandi, et Sacrum Ordinem suscipiendi intra tempus a jure requisitum, si Beneficium adnexum habeat Ordinem Sacrum, quia suscipiens Officium, cui aliqua obligatio est adnexa, ad hanc habilitare se debet. Et quidem suscipiens Beneficium simplex animo deinde uxorem ducendi, Beneficio dimisso, peccat tantum, cum hic animus aliquam involvat deordinationem; licet ex Lig. nonnisi leviter, cum talis deordinatio non sit tanta, ut damnari debeat de mortali; suscipiens vero Beneficium curatum absolutam habere debet voluntatem suscipiendi intra annum Sacerdotium, secus namque et peccat lethaliter, et est ipso jure Beneficio privatus, et ad fructuum restitutionem tenetur, ex C. *Commissa* §. 7. *de elect. in* 6.; quos tamen retinere potest, mutando voluntatem, ex eod. C.; immo et Ep. dispensare potest, ut Vicario suffecto, studiis per septennium vacet. 4.° *aetas legitima*: circa quam ad dignitates non habentes animarum curam requiritur ex Trid. annus 22. completus: ad Beneficia autem simplicia annus 14. inchoatus, Canonicatu Ecclesiae Cathedralis excepto, ad quem requiritur annus 21. completus. Demum probitas morum, scientia proprii muneris, et vocatio Divina, maxime ad Beneficia

animarum curam habentia, de quibus ait Christus: *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, fur est, et latro. Qui autem intrat per ostium, pastor est ovium* (*Jo.* 10.). Nemo autem ad hujusmodi Beneficia intrat per ostium, nisi qui ad illa vocatus a Deo fuerit.

41. Cavendum quoque est, ne plura Beneficia simul possideantur: vel enim sunt incompatibilia, quia obligant ad residentiam, ut duo Beneficia curata; duae Dignitates, cujusmodi sunt Archipresbyteratus, Archidiaconatus, etc.; duo Personatus, pro quibus intelliguntur habentia praeeminentiam aliquam supra Clerum, sed absque jurisdictione, cujusmodi sunt munera Primicerii, Cantoris, etc., duo beneficia uniformia sub eodem tecto, quae nempe obligant ad easdem functiones eodem loco, et tempore, cujusmodi sunt Canonicatus: sique de his beneficiis agatur, obtento secundo, vacat ipso juro primum, ex Trid. *sess.* 7. *c.* 2.; *et sess.* 24. *c.* 17., nec non ex Decl. S. C. Si vero sint compatibilia, et ad residentiam non obligantia, de his etiam Trid. decrevit, quod *unum tantum Beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur. Quod quidem si ad vitam ejus, cui confertur, honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri* (*sess.* 24. *de reform. c.* 17.). Qua super re docet Lig. cum communi, pluralitatem Beneficiorum sive duplicium, sive simplicium, modo unum sufficiat ad congruam sustentationem, secundum se esse contra ipsum jus naturale, tum quia mens Fundatorum recte praesumitur fuisse, ut plures Ecclesiis inser-

viant, tum ob alia inconvenientia, quae ex pluralitate Beneficiorum emergunt, ac Jo. XXII. ennumerat in Extrav. *Execrabilis de Praeb.*, *et Dign.*; ex quo sequitur, quod nec etiam cum dispensatione Pontificis valeant sine lethali peccato retineri, nisi adsit causa cohonestans, et ob quam dispenset. Haec autem esse potest 1.° *necessitas Ecclesiae*, si desint nempe alii Ministri idonei. 2.° *utilitas Ecclesiae*, si unus nempe, licet absens, censeatur magis profuturus auctoritate, doctrina, ac prudentia, quam alter praesens. 3.° *evidens meritorum prerogativa*; quod conforme est doctrinae Ap., ubi ait: *Qui bene praesunt Praesbyteri*, *duplici honore* (idest munerum largitione, ut D. Hieronymus explicat *in c.* 15. Matth.) *digni habeantur*, *maxime qui laborant in verbo*, *et doctrina* (1. *ad Tim.* 9.). Quod si nulla ex praedictis causis adsit, hoc ipso etiam, quod habens Beneficium simplex sufficiens ad suam congruam sustentationem recipiat secundum, juxta communiorem, et probabiliorem sententiam primum ipso jure vacat, ut prae aliis docent *Barb.*, et *Fagn.* ex Decl. ipsius S. C. (l. 4. n. 117., et 118.). Dum vero beneficium simplex quis obtineat, nec sufficiat ad honestam sui sustentationem, potest ab Episcopo habilitari ad suscipiendum aliud. Quod si nec istud sufficiat, ut tertium obtineat debet ex Ben. XIV. *Inst. Eccl.* 91. §. 7. a Sede Apost. dispensationem obtinere, sive hoc tertium sit liberae collationis, sive de jure Patronatus etiam laici, tum ex Trid., ubi nihil dicitur de tertio, tum ex praxi S. C.

42. Hinc autem sequitur, amitti Beneficia 1.° per

alterius Beneficii consecutionem absque causa cohonestante. Quae et amittuntur 2.° per professionem Religiosam: 3.° per celebrationem Matrimonii: 4.° per crimen, cui adnexa ipso facto sit amissio Beneficii, ut haeresis, schismatis, sodomiae iteratae, etc. Consulatur tamen quod diximus l. 1. n. 90. 5.° per Judicis sententiam. 6.° per liberam resignationem: quae definitur *spontanea Beneficii dimissio facta, et adprobata coram legitimo Superiore, et cum consensu Patroni, vel Electorum, si fuerit patronatum, vel electivum.* Debet tamen resignatio esse spontanea, nam si vi, dolo, aut metu injusto extorqueatur, erit nulla, vel certe annullanda. Quod si facta fuerit ab aegrotante, qui nec per dies 20. superstes fuerit a resignatione, Beneficium non habetur, ut resignatum, sed ut vacans. De resignationibus autem in favorem alterius, vel cum reservatione pensionis consulatur quod diximus lib. 1. n. 103.

43. Huc demum recidit quaestio, an translatio Episcoporum absque justa, et valde gravi causa, non solum sit vetita jure Canonico, ut omnes conveniunt, sed jure etiam Divino? Ad quod Lig. respondet: *Sententia communior, et mihi longe probabilior docet, Episcopos teneri jure Divino permanere in suis Episcopatibus. Ideo nec licite, nec valide posse Papam cum iis dispensare sine valde gravi causa* (*l.* 4. *n.* 104.). Quod probat 1.° ex cap. *Inter corporalia. De Transl. Episc.*, ubi expresse declaravit Innoc. III., quod *sicut Deus dissolutionem carnalis conjugii sibi reservavit, sic etiam conjugii spiritualis inter Episcopum, et Ecclesiam; quodque hoc non humana, sed potius Di-*

vina potestate dissolvitur, cum per translationem auctoritate Romani Pontificis (quem constat esse Vicarium Jesu Christi) ab Ecclesia removetur. Ac 2.° etiam ex voto, quod Episcopi emittunt, dum Ecclesiis praeficiuntur, curam habendi ovium ipsarum, quodque D. Th. vocat perpetuum, et solemne 2. 2. *qu.* 185. *art.* 4.; et clarius *qu.* 185. *art.* 7., ubi ait: *Presbyteri autem curati non obligantur voto perpetuo, et solemni ad curam animarum, sicut obligantur Ep.* Causae autem justae, ob quas eorum translatio licet, censentur esse 1.° magna Ecclesiae universalis, vel particularis utilitas ab alio non supplebilis: 2.° necessitas propter infirmitatem, vel aeris malitiam: 3.° si ob plebis iniquitatem, vel ob aliam causam non posset Episcopus munus suum exercere.

C a p u t II.

De Clericis non beneficiariis: et 1.° de requisitis ad Clericalem statum.

44. Et 1.° nemo Clericalem statum debet assumere, nisi qui innocentiam vel diligenter servaverit, vel per congruam poenitentiam denuo fuerit adeptus: secus namque, ut D. Bern. ait, reconciliationis alienae negotia tractare praesumeret, dum ipsemet reconciliari egeret; atque in Ministrum gratiae se erigeret, dum ipsemet irae filius esset: quo quid deordinatius (*De conv. ad Clericos* c. 19.)? Praesertim vero, ut ait Innoc. III. C. *A multis, de aetat. et qualit. etc. Nemo ad Sacrum Ordinem permittatur ac-*

cedere, nisi aut Virgo, aut probatae castitatis existat: Et sane, quod vitae castitas sit ex praecipuis praerequisitis ad Clericalem statum, Infideles ipsi agnovere, qui ajebant: *Casta placent superis*: iisque proinde, qui adibant oracula, alte personabant: *Divos caste adeunto.* Quam districte vero praecepta fuerit Sacerdotibus in lege veteri, ex eo patet, ut D. Hier. advertit *l. 1. contr. Jovin.*, quod cum ab iis inserviendum erat juxta ordinem Tabernaculo, *purificabantur ad tempus, ab uxoribus separati, et vinum, et siceram non bibebant; quae solent libidinem provocare.*

45. Cum autem adveniente temporum plenitudine Ecclesiam suam Dei Filius fundavit, quidquid sit de quaestione, an Apostoli, Petro excepto, uxorem habuerint, circa quam sanior TT. pars negantem sententiam amplectitur; nam, ut disserit D. Hier.: *Quoniam, excepto Petro, non est manifeste relatum de aliis Apostolis, quod uxores habuerint, cum de uno scriptum sit, et de caeteris tacitum, intelligere debemus, sine uxoribus eos fuisse, de quibus nihil tale Scriptura significat* (*l. cit.*); quidquid de hoc sit, certum tamen est, quod post vocationem ad Apostolatum, semper exinde se continuerunt, nec amplius matrimonio usi sunt, ut patet ex c. 19. *Matth.*; cum enim Petrus Apostolorum omnium nomine dixisset Christo: *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus Te*; eique Christus respondisset: *Amen dico vobis, quod vos, qui reliquistis omnia, etc. Et omnis, qui reliquerit domum, et uxorem, etc., centuplum accipiet, etc.*; quis non videt, ut laud. Hieron. argu-

mentatur, quod si Apostoli uxorem duxerant, hanc tamen ob Christum post vocationem ad Apostolatum reliquerint?

46. Subinde autem primis Ecclesiae saeculis promoti quidem fuerunt ad Sacerdotium, immo et ad Episcopatum ex ipsis conjugatis: *Quemadmodum enim* (ait quoque Hier.) *in generis humani initio inter fratres, et sorores conjugia contrahebantur, quia alii non erant, inter quos illa contrahi possent, sic et a principio nascentis Ecclesiae, quia alii aetate, virtute, et prudentia praediti non erant, qui tanto officio fungi possent, opus fuit ex maritis Diaconos, Sacerdotes, et Episcopos eligere* (l. cit.); at simul cautum fuit, ne post Sacram Ordinationem conjugio uterentur, ita namque idem Hier. ad Pammachium scribens: *Christus Virgo, Virgo Maria. Apostoli vel Virgines, vel post nuptias continentes. Episcopi, Presbyteri, Diaconi aut Virgines eliguntur, aut vidui, aut certe post Sacerdotium in aeternum pudici.*

47. Rationes autem, ob quas vitae castitas sit ex praecipuis praerequisitis ad Clericalem statum, sunt 1.°, quod Clericus omnino Deo dicatus esse debet, ait namque cum Clericalem statum profitetur: *Dominus pars haereditatis meae, et calicis mei.* Porro, ut ait Ap.: *Qui sine uxore est, sollicitus est, quae Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est, quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est* (1. *ad Cor.* 7.). Est igitur proprium Clericalis status procul esse ab uxore, ac vitam coelibem profiteri: 2.° quia Coelibatum Matrimonio praestare et Christus asseruit, cum Apostolis ajentibus:

Si talis est causa hominis cum uxore (quod illam nempe dimittere nequit, aliamque ducere quacumque ex causa), *non expedit nubere*; eorum sententiam probans, ut scribit D. Hier., *recte quidem sentitis* (ait) *quod non expediat homini ad Coelorum Regna tendenti accipere uxorem* (*l.* 1. *cont. Jovin.*). Quod deinde expresse docens Ap., ait: *Igitur qui matrimonio jungit Virginem suam, bene facit: et qui non jungit, melius facit* (1. *ad Cor.* 7.). In quae ita idem Hier.: *Tantum est igitur inter nuptias, et Virginitatem, quantum inter bonum, et melius* (*ibid.*): quare Trid. *sess.* 24. *can:* 10. *Si quis dixerit, non esse melius, ac beatius manere in Virginitate, aut coelibatu, quam jungi Matrimonio, anathema sit.* Est autem Clericalis status aemulari charismata meliora; statum namque esse perfectionis, ac sanctitatis ex sublimitate officiorum, ad quae ordinatur, manifeste patet: quare ait D. Th., quod ad illum requiritur *major sanctitas interior, quam requirat etiam Religionis status* (2. 2. *qu.* 184. *art.* 8.): Quod *pondus Ordinum imponendum est parietibus jam per sanctitatem desiccatis* (*qu.* 189. *art.* 1. *ad* 3.): Quod *ad idoneam executionem ordinum non sufficit bonitas qualiscumque, sed requiritur bonitas excellens; ut sicut illi, qui ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu Ordinis, ita et superiores sint merito sanctitatis* (*In* 3. *p. suppl. qu.* 35. *art.* 1. *ad* 3.): Proprium ergo erat Clericalis status quod coelibatum profiteretur. 3.° quod si Achimelech, priusquam panes propositionis, qui Eucharistiam prefigurabant, ac de quibus edere non licebat, nisi Sacerdotibus, Davi-

di, ejusque comitatui ad manducandum dedisset ob necessitatem, qua premebantur, distincte quaesivit, an mundi essent, *maxime a mulieribus*, ut in libris Regum legitur: qua puritate fulgere, atque eminere debet Sacerdos ad Eucharistiam ipsam suscipiendam, et conficiendam? In actu autem conjugii, etsi per se non malo, nemo nescit, facile, ac frequenter reperiri quod puritatem obnubilat: Quod igitur conjugium procul a Sacerdotio esse debuerat, consequens est. Demum *si Paulus* (ita S. Innoc. Papa in sua Decretali ad Victricium) *ad Corinthios scribit*, *dicens*: Abstinete vos ad tempus, ut vacetis orationi, *et hoc utique laicis praecipit*, *multo magis Sacerdotes*, *quibus et orandi*, *et sacrificandi juge officium est*, *semper debebunt ab hujusmodi consortio abstinere*.

48. Objiciunt quidem Protestantes 1.° illud Gen. *Crescite*, *et multiplicamini* (1.): 2.° illud Ap. ad Tim. *Oportet Episcopum esse unius uxoris virum* (*ep.* 1.*c.*3.): quodque ibidem c. 4. *doctrinam Daemoniorum* vocat eam, quae prohibet nubere: 3.° illud quod ait ad Heb.: *Honorabile connubium in omnibus* (13.). Et in Clericis igitur. Resp. tamen ad 1., verba illa praeceptum non fuisse, sed benedictionem, tum quia eadem Deus dixit ad pisces, et aves; tum quia secus et Elias, et Jeremias, et uterque Joannes, et Paulus; et ipse Christus hujus praecepti transgressores fuissent. Ad 2., sensum verborum Ap. esse, quod bigami ordinari nequeunt, ut etiamnum quoque ab Ordinibus arcentur; secus namque sanxisset Paulus quod ipse non servabat, immo et a quo simplices fideles dehor-

tabatur, dicens: *Volo omnes vos esse, sicut me ipsum* (1. *ad Cor.* 7.). Ad 3., Matrimonium dici *honorabile in omnibus*, et quia omni ex parte honorabile, et quia honorabile in omnibus, quos Deus ad alium statum sublimiorem non vocat, et nullo impedimento ad illud contrahendum tenentur.

49. Quae cum ita sint, ostendit Lig. peculiari Dissertatione, quam laudans Benedictus XIV. *lib.* 10. *de Syn.*, c. 2., §. 17., eique in omnibus adhaerens, *prudentis Auctoris* laudem ei tribuit, ostendit, inquam, quod, saltem ordinarie, quamvis Clericus recidivus, et consuetudinarius, in vitio praesertim turpi, ob sinceram suam conversionem capax sit Sacramentalis absolutionis, in eo tamen statu nequit ad Sacros Ordines licite accedere, nisi prius experimentum praebeat de propositi sui constantia, et de effectu diligentiarum ad pravum habitum eradicandum. Quod si in suscepta deliberatione permaneat ad Sacros Ordines recta convolandi, hoc ipso Sacramentali etiam absolutione indignum esse, quia Ecclesiae leges in re gravi offendens, ad absolutionem recipiendam dispositus haberi nequit. Ait *saltem ordinarie*: posset enim (pergit) casus evenire, quod Deus talem compunctionis gratiam Clerico largiretur, quae illum redderet dispositum et ad absolutionem, et ad Sacrum Ordinem suscipiendum, praetermisso quocumque alio experimento: si enim sufficienter probatus existimatur, qui per aliquod tempus se continens habitum extirpare curaverit, multo magis is probatus censeri debet, qui per specialem Dei gratiam vehementi contritione manifeste compunctus est: diutur-

nitas enim temporis sufficiens creditur probatio, quia signum est firmae voluntatis poenitentis; cujus tamen magis timendus est relapsus, quam ejus, qui talem contritionis gratiam ostendat, ut prudens Confessarius directe eum voluntatem immutasse cognoscat. Id tamen docet magis speculative, quam practice: quia enim res est periculi plena, ac de hujusmodi Clericis, qui vix e vitiorum coeno emersi ad Altaris ministerium ascendere inhiant, frequenter malus exitus deploratur non sine maximo Ecclesiae detrimento, et populorum ruina, concludit proinde Sapientissimus Auctor, quod etsi Confessarius illum videat extraordinarie compunctum, toto nihilominus conatu debet eumdem persuasum reddere, ut differat Ordines suscipere, quoadusque probatione alicujus notabilis morae magis purgatum se praebeat a sceleribus patratis: quodque semper consultius, et congruentius est, ut etiamsi ex contritione, et compunctione habita sit sufficienter dispositus non solum ad absolutionem, sed etiam ad Ordinem suscipiendum, ei tamen absolutio differatur, ipso quoque non consentiente, si velit statim ordinari, ut temporis experimento firmius probetur, dummodo ex dilatione Ordinationis notam, sive proximum infamiae periculum non sit subiturus. Qua super re advertit simul Ben. XIV. loco cit. §. 18., *prudenti Confessario admodum difficile non esse, hujusmodi Ordinando ante oculos ponere, non modo aeternam salutem quovis humano respectu potiorem esse debere, verum etiam nihil infamiae in eo esse, si quis dicat, et fateatur, velle se maturius cogitare de ineundo hujusmodi vitae instituto, quod graviora secum*

fert onera, quodque semel susceptum, per omnem vitam necessario servandum erit. Ita igitur Lig. l. 6. n. 63., et sequ., cumque eo Ben. XIV. Quod probatur et verbis Inn. III. supra relatis n. 44. Et ex D. Greg., ubi ait: *Nullus debet ad ministerium Altaris accedere, nisi cujus castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata* (*l. 1. ep. 42.*). Et ex praecepto Trid.: *Illos tantum promovendi ad Sacros ordines, quorum probata vita senectus sit* (*sess. 23. c. 12.*). Ac denique ratione: quia enim, ut quis ad Sacri Ordinis dignitatem ascendat, non sufficit simplex, et actualis status gratiae, sed requiritur etiam bonitas praecellens, et habitualis, ut ostendimus n. 47.: poenitens idcirco, qui e luto habitualium libidinum mox emersit, quamvis conversus, quia tamen pravis habitibus irretitus adhuc infirmus existit, is vix capax erit absolutionis, sed non Ordinis Sacri. Hinc si taliter affectus, et a sanie vitiorum nondum purgatus ad Altaris fastigium ascendere inhiat, nisi prius sufficienti probetur experimento, iste, prout temerarius, Sacramentalis etiam absolutionis manifestatur indignus. Ita igitur Lig.; addens, quod id, quod dictum est de vitio luxuriae, dicendum aeque est de quocumque alio, nimirum ebrietatis, avaritiae, blasphemiae, odii, etc. (*loc. cit. n. 67.*).

50. Praeter vitae sanctitatem necessariam quoque esse ad Statum Clericalem convenientem scientiam, dubitare non desinunt et illud Os: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi* (4.). Et illud Mal.: *Labia Sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus* (2). Et illud

Agg. *Interroga Sacerdotes legem* (2). Cujus ratio est, quia ut ait Gelasius Papa: *Literis carens sacris non potest esse aptus officiis* (*Dist.* 16. *c.* 1.): nam et populi erudiri nequeunt; et Sacramenta illicite, et saepe etiam invalide necesse est ministrentur; et a restituendo fiet, ut deobligentur, qui ad restituendum sunt obligati; et quod in irregularitate, ac censuris relinquatur, quì iis irretitur, etc. Ex quibus quot Ecclesiae, atque animabus damna provenient?

51. Scientia autem cuïque Ordini conveniens est ex Trid. *sess.* 23. *c.* 11. pro initiandis ad Ordines minores, quod *saltem latinam linguam intelligant.* Non improbabiliter tamen si Ordinandus non adhuc sciat linguam latinam, quantum oportet, sed de brevi certo speratur fore ut addiscat, poterit Episcopus eum ordinare; quamvis, ut ait Lig., melius faciet, si non ordinabit (l. 6. n. 790.). Pro initiandis ad Subdiaconatum, et Diaconatum, ut sint *literis*, *et iis*, *quae ad Ordinem exercendum pertinent*, *instructi* (*c.*13.). Pro initiandis ad Sacerdotium, ut *ad populum docendum eá*, *quae scire omnibus necessarium est ad salutem*, *ac ad ministranda Sacramenta*, *diligenti examine praecedente*, *idonei comprobentur* (c.14.). Quare docet Lig., promovendum ad Presbyteratum scire quidem debere ea, quae spectant ad Sacrificium, et Sacramenta Baptismi, et Extremae unctionis, quorum est Minister; at quoad Sacramentum Poenitentiae non requiri in eo tantam scientiam, quanta est necessaria Confessario approbato, sed satis esse, quod habeat aliqualem scientiam circa materias magis obvias, quae pertinent ad Sacramentum Poenitentiae, pro casibus saltem necessariis, in

quibus Confessiones excipere teneretur. Quod probat auctoritate S. Caroli Borr. in Conc. Mediol. V., ubi dictum fuit, quod initiandus ad Presbyteratum *circa Sacramentum Confessionis aliquam saltem peritiam habeat*. Sine hac tamen (subdit idem Lig.) non videtur posse a gravi culpa excusari; etenim Innoc. XIII. in Bulla *Apostolici Ministerii*, quam deinde confirmavit Ben. XIII., laudatque etiam Ben. XIV. *in Not.* 16., *et* 32., nullam benigniorem interpretationem dare potuit relatis Trid. verbis, quam illam reducendo ad studium Theologiae Moralis: cum enim quisque Sacerdos teneatur in casibus necessariis Sacramentum Poenitentiae ministrare, quisque etiam scire debet, quae ad illud rite ministrandum sunt necessaria: de qua proinde scientia debet Episcopus, ne communicet peccato illius, qui absque tali scientia ordinari petit, certus fieri ante ordinationem, vel saltem quod illam de brevi addiscet. Quare, ut pluries a S. C. Conc. definitum fuit, Episcopus alienos subditos per dimissorias ad se directas ordinaturus, non tenetur quidem Ordinandum novo examini subjicere, cum id a proprio Ordinario sit praestandum; potest tamen, si velit, illos novae discussioni submittere: modo ipsi non mittantur a proprio Metropolitano, quos nec tenetur, nec potest denuo examinare, ex Decis. ejusd. S. C. *in causa Elboren.* die 22. Aug. 1721.; potest tamen ab illorum ordinatione se abstinere ex justa causa, ut videre quoque est apud Ben. XIV. *de Syn. l.* 12. *c.* 8. *n.* 7. Regulares vero nequeunt 1.° Ordines suscipere, nisi ab Episcopo, in cujus Dioecesi est Monasterium, ubi tunc commorantur,

ut decrevit Clem. VIII., Ben. XIII., et novissime Ben. XIV. Bulla, quae incipit: *Impositi nobis*; praeterquam si Episcopus loci, in quo commorantur, Ordinationem non habeat: in quo casu potest quidem Superior subditis Dimissorias dare ad quemcumque alium Episcopum; praevia tamen attestatione Vicarii Generalis, Cancellarii, aut Secretarii Episcopi Dioecesani de impedimento, quae ostendenda est alteri Episcopo, ac secus tam ordinans, quam sic ordinatus incurrunt censuras, et poenas, quas incurrunt, qui ab aliquo Episcopo ordinantur absque Dimissoriis; et modo ex industria non distulerit suorum subditorum Ordinationem in id tempus, quo Episcopus Dioecesanus habiturus non fuerat Ordinationem, vel fuisset absens. Quod autem ordinari possint a quocumque Episcopo debet esse privilegium nominatim concessum, non vero per communicationem: 2.° etsi Episcopus possit sine examine eos ordinare, acquiescendo suorum Praelatorum testimonio, nisi urgeat praesumptio in contrarium, et eos tamen potest, si velit, examinare: nec est de hoc amplius dubitandum post laud. Bullam Ben. XIV., ubi dicitur, *Regulares examinandos esse ab Episcopo ordinante*. Ita Lig. l. 6. n. 768., et 792. Quaerit autem n. 791., quinam illiterati sint omnino irregulares? Ad quod respondet, quod illi, qui sunt adeo rudes, ut ignorent etiam prima Grammaticae rudimenta, et nesciant praestare ea, quae pertinent ad Ordinis exercitium, ad quod sane requiritur linguae latinae scientia, ipsi sunt prorsus irregulares, et graviter peccant tam Ordines suscipiendo, quam eos exercendo; nec cum iis

ipse Summus Pontifex dispensare potest, cum irregularitas hujusmodi non solum sit de jure humano, sed Divino etiam, et naturali; ipsum namque jus naturale dictat, admittendos non esse ad aliquod munus, qui illud nequeant exercere. Ubi demum haec ex D. Th. habet: *Aliqui ad Sacerdotium promoventur, quibus committitur tantum actus supra corpus Christi verum, sicut Religiosi; et talibus sufficit, si tantum de scientia habeant, quod ea, quae ad Sacrificium perficiendum spectant, recte servare possint. Alii autem promoventur ad actum supra Corpus Christi mysticum, unde scientia legis in eis esse debet, non quidem, ut sciant difficiles quaestiones legis, sed sciant quae populus debet credere, et observare de lege* (*In 4. Dist. 24. qu. 1. art. 3. ad 1.*).

52. Denique ad statum Clericalem necessariam esse Divinam vocationem, et docet Ap. illis verbis ad Heb. 5.: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron*: et peculiaris ratio suadet, quia secus laederetur suprema Dei auctoritas multo plus, quam laederetur auctoritas Regis, si quis eo invito publicam rem administrare, populis jura dicere, exercitibus praeesse pro nutu, et arbitrio presumeret. Hinc quia ausit in sacrum ministerium se intrudere, nec promittere sibi potest necessaria auxilia, ut sit idoneus Minister, nec sine magnis difficultatibus, ut loquitur Lud. Hab. poterit saluti suae consulere. Ad quod etiam referri possunt illa D. Leonis verba: *Difficile est, ut bono peragantur exitu, quae malo sunt inchoata principio* (*ep.* 85.). Signa autem vocationis ad statum Clericalem sunt 1.° pro-

bitas vitae, ex dictis n. 47. 2.° scientia conveniens, ex dictis n. 50., et 51. 3.° recta intentio, vacandi scilicet Dei gloriae, et animarum saluti, non autem ut D. Bernardus scribit, *honorem quaerendi proprium, aut corporis voluptatem* (*Declam. in Ev. Ecce nos*).

Caput III.

De iis, quae Clericis sunt vetita.

53. Praemittendum ducimus iis, quae in hoc capite dicturi sumus, Trid. textum, ubi ait: *Nihil est, quod alios magis ad pietatem, et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita, et exemplum, qui se Divino Ministerio dedicarunt. Cum enim in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos, tamquam in speculum, reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt, quod imitentur. Sic decet proinde Clericos in sortem Domini vocatos vitam, moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nihil, nisi grave, moderatum, ac religione plenum praeseferant. Levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem* (*sess. 22. c. 1. de Ref.*).

54. Quibus praemissis, vetatur iis 1.°, quod habitum laicalem deferant: et quidem si sint in Sacris constituti, vel Beneficiarii, omnino tenendum ex Lig., quod sic incedentes, peccant graviter, quia ex Trid. patet, ipsam delationem habitus laicalis parvipensionem esse honoris Clericalis: quodque a mortali excusari nequit Clericus, qui in bacchanalibus excur-

rat per urbem larvatus. Quamvis tamen distinguantur praesertim a Laicis per tonsuram, seu coronam; ideoque et Laym., et Escobar pari modo loquantur de non deferente coronam, ac de non deferente habitum, probabile tamen censet cum Lacroixio, facilius mortaliter peccari non deferendo habitum, quam coronam: quis enim (dicit) arguet Sacerdotem de mortali, si per 6., vel 8. hebdomadas coronam non deferat, etiamsi nullum de ea vestigium appareat (l. 6. n. 825., et 826.)? Qua super re advertendum quoque est, posse, ac decere Episcopum iis praecipere vestem talarem deferre, sive cum in publicum prodeunt privata sua negotia expedituri, sive cum Ecclesiam adeunt Sacris operaturi; quo in casu hac debere uti, ex eo patet, quod, ut refert Ben. XIV. l. 11. de Syn. c. 8. §. 1., *cum nonnullis Episcoporum Edictis praeceptum fuerit Clericis sive in Sacris, sive Beneficiariis veste uti oblonga nigri coloris, quam talarem appellamus, adjecta poena in contumaces; atque adversus has sanctiones, tamquam nimio rigore conspersas, provocassent Ecclesiastici ad S. C. Conc., semper succubuere.*

55. Vetita quoque est Clericis venatio ex c. 1. *de Cler. ven.*, ubi ita: *Episcopum, Praesbyterum, ac Diaconum canes, aut accipitres, aut hujusmodi ad venandum habere non licet. Quod si quis talium personarum in hac voluptate saepius detentus fuerit, si Episcopus est, tribus mensibus a Communione; si Presbyter, duobus; si Diaconus, ab omni officio suspendatur.* Hinc communiter infertur, quod ejus prohibitio intelligenda est de clamorosa, et cum strepitu;

quae tamen nec etiam vetita est sub gravi, ut docet Lig., nisi sit frequens, et cum scandalo, vel magnis expensis, ut colligitur ex tò *saepius*, quod in cit. textu adhibetur, et ex poena suspensionis, quae imponitur, non quidem latae, sed ferendae sententiae, et ad tempus (l. 3. n. 605.). Iisdem quoque prohibetur ludus alearum, ex Conc. Lat. IV., ubi ita: *Clerici ad aleas, ex taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint.* Et quidem, docet Lig., *Clericos in Sacris, aut Beneficiarios aleis frequenter ludendo, omnino dicendum est, peccare mortaliter cum communi sententia; idque etsi in parva quantitate: quia frequentia talis lusus de jure naturae dedecet valde Ecclesiae Ministros (l. 3. n. 896., et 897.).* Quod si raro, moderate, et privatim sine scandalo aleis ludant, subdit, non peccare graviter: immo probabiliter nec venialiter, si ludant recreationis gratia, ubi canones, qui id vetant, non rigide observantur (n.899.). Ludus autem alearum Clericis vetitus ille proprie dicitur, qui totaliter pendet a casu, non vero qui sit tam industriae, quam fortunae: pro hujusmodi enim ludis, valde probabilem censet idem Lig. n. sequ. sententiam Salm., quod non peccent graviter Clerici iis ludentes, nisi alicubi esset specialis prohibitio, aut scandalum. Circa quod ludorum ab industria pendentium genus advertit quoque, pensandam esse qualitatem personae, an sit magnae, vel parvae aestimationis; Clerici enim, qui vitam non tam exemplarem ducunt, revera grave scandalum non ingerunt, si etiam frequenter aspiciantur in talibus ludis versari, modo propria ministeria non negligant; immo nec

ullum praebent scandalum, si mera recreationis causa id faciant: quos proinde, concludit ibid. Lig., vere dici potest excusari ab hodierna, et universali consuetudine, quae certe differt ab arcta primitivae Ecclesiae disciplina. De Episcopis tamen docet, Episcopum ludentem etiam semel ludo merae sortis difficulter excusari posse a gravi scandalo; sicut etiam si frequenter versetur in aliis chartarum ludis non omnino fortuitis. Immo subdit, quod etiamsi assistentes tantum, saltem ex proposito, et frequenter alearum ludis, difficulter quoque excusari possunt a peccato gravis scandali: quod de aliis Clericis, ludis nempe hujusmodi dumtaxat assistentibus, negat, nisi ex circumstantiis aliud ferendum sit judicium (n. 902., et 903.).

56. Difficile etiam excusari possunt a mortali Clerici choreas ducentes, vel etiam iis tantum assistentes, ut docet prae aliis Ben. XIV. Not. 76., et patet ex dictis l. 2. n. 195. Sicut etiam difficile excusari possunt a mortali comoedias adeundo, utpote iis quoque vetitum C. *His igitur Dist.* 23., et C. *Non oportet de consecr. dist.* 5. Quibus accedit Const. S. Pii V. edita anno 1566., ubi sub gravibus poenis prohibetur: *Ne Clerici choreas, comoedias, fabulas, hastidulia, aut profanum ullum spectaculi genus agerent, vel spectarent.* Omnino autem damnandi sunt de mortali iis assistentes, quae sint obscoenae, ac turpes, utpote quibus ipsi saeculares assistentes, graviter peccant. Quare Ben. XIV. l. 11. de Syn. c. 10. §. 12.: *Nimis* (ait) *laxa, ne dicam aperte erronea, et scandalosa, est doctrina, quam tradit Lucius Ferraris in sua Bibliotheca canonica V. Clericus art. 4. n. 17., ubi, etsi fateatur,*

non esse Clericis permittendum comicos agere, seu comoediarum actores esse, attamen a gravi culpa eosdem absolvit comoedias spectantes, quantumvis turpes, atque obscoenas, dummodo ex earum auditione nullum sibi imminere praevideant probabile periculum lapsus, eorumque praesentia nullum in populum ingerat scandalum.

57. Prohibetur quoque Clericis officium Judicis in causa sanguinis; Advocati, nisi pro egenis, vel pro valde conjunctis; Patroni, Tabellionis, seu Notarii in causis saecularibus; Medici, et Chirurgi, ubi opus sit incisione, vel adustione; etiamque absque hac, *nisi* exerceatur *praevio Indulto Sedis Apostolicae ob Civitatis, vel loci non affectatam indigentiam*, ut ait Ben. XIV. *l.* 13. *de Syn.* c. 10.: Tutoris, vel Curatoris; ac demum Procuratoris Laicorum: quorum negotiis administrandis, curandisque, eorumque obsequiis, abjectisque servitiis se addicentes, *difficile est judicare* (inquit Clem. XIII. in sua Const. *Cum primum*), *an magis deflenda sit eorum coecitas, qui proprii gradus dignitatem ipsi proculcant, an potius reprehendenda sit laicorum praesumptio, qui Sanctuarii Ministros tam parvipendant, ut eos in domesticis officiis, servilibusque ministeriis adhibere non vereantur.* Si tamen Clericus sit proximior consanguineus pupilli, potest ejus tutelam gerere, cum solum agere nequeat officium Tutoris Testamentarii, vel a Magistratu constituti, non autem, qui a jure constituitur.

58. Iisdem quoque prohibetur popinarum ingressus, nisi forte, ut loquitur Conc. Lat. IV. *necessitatis causa in itinere constitutis* (c. 16.): confectio

alearum, ornatuum muliebrium, armorum, et similium, quae ut plurimum ad peccata deserviunt: usus comae supposititiae, nisi modesta sit, et prius ab Episcopo spectata; cum qua tamen neminem posse Sacrificium celebrare, nisi ex licentia Sedis Apostolicae, docet Ben. XIV. *lib.* 11. *de Syn. c.* 10.: Cohabitatio cum foemina, de qua suspicio esse possit, ex Conc. Nic. 1. c. 3.

59. Demum negotiatio, quae stricte sumpta definitur: *Emptio alicujus rei cum animo eam immutatam revendendi cum lucro.* Late vero sumpta: *Emptio alicujus rei cum animo eam revendendi cum lucro, postea quam in aliam mutata fuerit operariorum conductione.* Porro primam sub gravi esse Clericis prohibitam, idque etsi in Minoribus, qui tamen sint Beneficiati, constat ex verbis Apostoli, quod *nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus* (2. *ad Tim. c.* 2.): nec non ex Const. Ben. XIV., et Clem. XIII., qui illam Clericis prohibent, etiamsi *sub alieno laici nomine quomodolibet negotientur*, ut Ben. loquitur; ac *tam proprio nomine, quam per interpositam personam*, ut Clem. confirmavit, ipsis nempe dantibus pecuniam, aliis ponentibus industriam. Alteram vero iis quoque esse interdictam probant cordatiores Theologi tum ex identitate rationis; tum quia, ut scribit Lig. l. 3. n. 836., valde saltem accedit ad negotiationem; tum demum quia qui huic quoque negotiationi dat operam nihil aliud vendit, nisi quod prius emerat; lucrumque omne, quod facit, est emptionis, non naturae, et industriae suae. Quod si necessitas urgeat, poterit Clericus negotiari; post ob-

tentam tamen dispensationem a Sede Ap. intra Italiam, vel ab Episcopo extra illam; quaeque intelligitur duratura *usque dum necessitas perduret*, *exceptisque illis negotiationibus*, *quarum exercitium Clericalem statum*, *et caracterem dedecent*. Ita Clem. XIII. Iisdem quoque interdictum est praedia aliena conducere, idque etiamsi sint Ecclesiae, tum a Conc. Chalced., tum ab laud. Clem. Item cambium, etsi licitum Laicis, ab eodem Clem. Sicut etiam pecora emere ad illa saginanda in alienis praediis, et postea illa saginata, vel eorum foetus vendere, ex Decr. S. C. Conc. *die* 7. *oct.* 1662. Non censet tamen illicitum Lig. emere animalia, ac deinde fructus alienorum agrorum ad illa saginanda, et saginata vendenda, secluso scandalo, cum nulla lege videatur prohibitum (l. 3. n. 835.). Declaravitque item S. C., Clericos pauperes ad suam, suaeque familiae sustentationem posse terras Ecclesiae conducere absque reatu illicitae negotiationis: bona vero Laicorum non posse, nisi ex mera, et praecisa necessitate (*Pav. Spicil. n.* 213.); Sicut etiam posse retinere, et locare boves, et oves et alia animalia, quae habent ex successione, vel decimis, ac fructus illorum vendere (*ibid.*).

Caput IV.

De iis, quae Clericis sunt praecepta.

60. Multa sunt, quae Clericis praecipiuntur, de quibus locuti sumus lib. 2., ubi de charitatis ordine n. 46., de correctione n. 58., et sequ.; de scan-

dalo n. 70.; de simonia n. 96. et sequ.; nec non ubi de 4.° Decalogi praecepto n. 157., et sequ.; ac ubi de 7.° Decalogi praecepto n. 263., et sequ., et n. 282. De iisdem etiam recurret sermo ubi de Sacramentis in genere, et in specie, ac maxime ubi de Eucharistia, et de Poenitentia. Hic tantum igitur de Horis Canonicis, quibus tenentur; pauca quidem, sed satis pro institutionum ratione.

61. Et 1.° earum institutionem fuisse, quoad substantiam saltem, ab Apostolorum tempore, colligitur ex c. 2. Act., ubi dicitur, quod fideles erant *perseverantes in fractione panis, et orationibus*: idest *in psalmis, hymnis, et canticis spiritualibus canentes, et psallentes*, juxta Ap. ad Eph. 5. Habetur quoque l. 8. *Const. Apost. can.* 34., quod Clemens Papa I. ita suis Clericis praecepit: *Precationes facite mane, hora tertia, sexta, et nona, et vespere, atque ad galli cantum.* Obligantur autem ad illas 1.° Clerici in sacris; et quidem qui Ordinem Subdiaconatus suscipit tenetur ad Horas respondentes horae, qua ordinatur. 2.° Beneficiati, qui ad eas juxta multos tenentur et ex praecepto Ecclesiae, et ex justitia, cum illis collatum non fuerit Beneficium, nisi propter officium: contradicentibus tamen aliis probabilius ex Lig. l. 4. n. 145., cum Beneficii fructus non dentur pro mercede recitationis, sed pro sustentatione Beneficiati, licet cum onere officii: ex quo sequitur, quod Beneficiarius officium omittens cum animo fructus restituendi, peccat quidem graviter, ut declaravit S. Pius V. Const. *Ex proximo Lateranensi etc.*, sed tantum contra Religionem, ob cujus motivum illi Ecclesia impo-

nit Officii recitationem, non vero contra justitiam, secus namque non potuisset Ecclesia Beneficiarios non recitantes primo semestri ab obligatione restitutionis eximere. Beneficiariis autem accensentur etiam praestimonia habentes, quae sint in titulum perpetuum, et adnexum habeant aliquod Officium spirituale, cum haec etiam rationem habeant Beneficii. Ac 3.° ex consuetudine Regulares professi utriusque sexus ad Chorum destinati; idque ex communi sententia et quotidie, et sub gravi: cum enim consuetudo hujusmodi, ut Lig. disserit, universe a Religiosis, et Monialibus constanter cum magno incommodo observata fuerit, ac Praelati graviter semper reprehenderint eam non servantes; recte praesumitur, quod eam introduxerint animo se obligandi: cumque materia sit gravis, sub gravi quoque ad illas obligari, consequens est (l. 4. n. 142.). Ubi etiam docet, quod tam Religiosi, quam Clerici ad triremes damnati deobligantur ab earum recitatione: tum quia earum recitatio videretur vergere in dedecus Status Ecclesiastici, si in illa damnatorum turba statum suum ostenderent: tum quia in illo tam miserabili statu non videntur hoc onere gravandi. Bene tamen ad illud tenentur in carcere detenti.

62. Hic autem operae pretium est advertere, recitationem officii B. M. V., vel Defunctorum, nec non Psalmos Poenitentiales, et Graduales in diebus praescriptis nullatenus afficere sive eos, qui privatim recitant, sive eos etiam, qui ad Chorum obligantur: hujusmodi enim obligationem, qua primum omnes ad Horas obligati adstringebantur, abstulit Pius V. Const.,

quae incipit *Quod a Nobis* quoad Officium Defunctorum, Psalmos Poenitentiales, et Graduales; subjungens tantum: *Sine praejudicio sanctae consuetudinis illarum Ecclesiarum, in quibus officium parvum B. M. semper V. in Choro dici consueverat, ita ut in praedictis Ecclesiis servetur ipsa laudabilis, et sancta consuetudo celebrandi more solito praedictum officium.* Quae tamen verba intelligenda esse de consilio pro ipsismet, qui Choro sunt adstricti, colligitur ex Decr. S. C. 14. *Jun.* 1755. cui cum quaesitum fuisset: *An Canonici cogi possint ad recitationem in Choro statutis diebus officii B. M. V., et Defunctorum, Psalmorum quoque Poenitentialium, et Gradualium, juxta Rubr. Brev. Rom., Constitutiones Synodales, et consuetudinem Firmanae Dioecesis? Et proposito dubio per Emin. Card. Tamburini S. R. C. Praefectum, et hujus instantiae Ponentem, Em. Patres S. R. C. Praepositi unanimes fuerunt in sensu, non esse cogendos. Et ita S. R. C. decrevit, et servari mandavit.*

63. Advertatur item cum Lig., quod ex satis probili sententia non tenentur in Choro recitantes omissa supplere, qui dum alii cantant, parant, aut transferunt libros, perquirunt psalmos, pulsant organa, aut campanas, vel alia Choro necessaria peragunt; quia per socios suppletur, quod ipsi forte non satis percipiunt. Ob quam rationem probabiliter quoque satisfacit ex eodem, qui dum alii recitant, tussit, vel excreat, etiamsi integer Psalmus interim dicatur (l. 4. n. 143.). Addit n. 163., quod qui in Choro ea omnia adhibet, quae ad attentam recitationem requiruntur, attamen vel ob exurgentium strepitum, vel

ob exilitatem vocis ejus, qui legit, non percipit omne, quod dicitur ab aliis, vel audit tantum confuse, et indistincte alteram Chori partem, satisfacit suae obligationi, nec ad aliud tenetur, tum quia praeceptum Officii ex benignitate Ecclesiae benigne est interpretandum; tum quia per societatem ipsam cum praefata attentione conjunctam censetur quisque moraliter cum aliis communicare. Idem etiam docet de surdo Choro adstricto Hyac. Stampò. Sed quoad hunc contradicit Lig., docens, surdum lucrari quidem distributiones, sed teneri ad repetendum non audita. Nec verum est (subdit), quod ille sic obligabitur ad duplex Officium, nam tenetur tantum ad supplendam partem non auditam. Cui accedit, quod bene potest eodem tempore satisfacere, submisse dicendo partem alterius Chori (*l. cit.*).

64. Licet autem horarum obligatio sit gravis, 1.° tamen non est grave ex Lig. omittere Officii partem, quae non pertingit ad quantitatem unius integrae horae: cum enim Officii praeceptum non sit septuplex ex septem horis dicendis, sed unum, praecipiens unicum Officium constans ex septem partibus, ut patet ex C. *Dolentes de celeb. Missae*, hinc totius Officii quantitas respicienda est, non vero cujuslibet horae; ideoque licet pars non pertingens ad integritatem unius horae sit notabilis respectu ejusdem horae, est tamen levis in se, et respectu totius Officii. Ex quo etiam sequitur, quod totum Officium omittens, non quidem septem peccata, sed unum tantum peccatum committit; ac solum si quis omitteret plures horas, ex intentionibus moraliter inter-

ruptis, tunc plura peccata committeret (l. 4. n. 147., et 148.). Dubitans vero, an aliquid omiserit, si sit scrupulosus, non est cogendus ad repetendum, cum in iis dubitationes sint ut plurimum inanes timores: cumque praesumptio sumatur ex communiter contingentibus, hinc praesumitur recitasse. Quoad alios vero, dubitans, an aliquid omiserit, recitare tenetur, si dubium sit negativum, cum possessio sit pro praecepto: si vero sit positivum, *non solum* (ait Lig. cum Nav. l. 4. n. 150.) *non tenetur repetere id, quod probabiliter credit, se dixisse, verum etiam male ageret id faciendo, eo quod habitum concipiendi scrupulos superfluos sibi quaereret.*

65. Licet etiam horarum obligatio sit gravis, excusat tamen ab earum recitatione infirmitas; impedimentum justum ob opera, quae sine scandalo, aut magno detrimento proprio, vel alieno omitti non possent; et dispensatio, quam Summus Pontifex etiam sine causa posset dare valide, etsi non licite, ex dictis l. 1. n. 108.; quamvis aliqui minus probabiliter id negent quoad Beneficiarios, putantes hos teneri ex justitia ad horas, ideoque de jure naturali; quod probabilius negatur, ut supra diximus n. 61. Et quidem ratione *infirmitatis* docet Lig., excusari ab Officio, non solum, qui gravi laborant morbo, sed etiam qui non possunt recitare, nisi cum gravi incommodo, aut probabili talis incommodi periculo. Unde satis excusantur, qui prudenter credunt, vel timent, ob Officii recitationem eis forte proventuram notabilem gravedinem capitis, vel cruditatem stomachi, aut virium lassitudinem; vel si credant febrim tardius es-

se remittendam: ut colligitur ex C. *Clericus* 2. *Dist.* 9., ubi dicitur, quod excusat ab Officio *inaequalitas corporis*, quod non significat morbum gravem, ut bene advertit Lacroixius. Et hoc (subdit) probabiliter admittitur, etiamsi infirmus per magnam diei partem aliquem legeret librum ad animum solandum; quia ex eo, quod potest legere aliquem recreationis librum, non sequitur, quod possit, et teneatur Officium recitare, ad quod major attentio requiritur, quae majorem affert difficultatem. Nec solum (pergit) actu aegrotantes, sed etiam convalescentes ex gravi morbo ab Officio excusantur per aliquot dies, donec reficiantur vires, ad arbitrium prudentis. Quod et admittendum, etiamsi isti Missam celebrarent. Si quis tandem ob infirmitatem certus est, non posse totum Officium recitare, sed dubitat, an possit partem, probabiliter ad nihil tenetur; nam rationabiliter excusatur a toto Officio, ne valde scrupulis angatur, nesciens quousque possit, ac teneatur recitare, haec enim anxietas magnum illi incommodum afferret: maxime si ex recitatione verisimiliter crederet contrahere capitis gravedinem, virium lassitudinem, aut tardiorem febris remissionem. Dubitans autem, an infirmitas sufficiat, necne ad excusandum, potest se committere Medici judicio, aut judicio Superioris acquiescere, qui in tali dubio etiam dispensare potest. Laborantem tamen febri tertiana, vel quartana docet non excusari ab Officio in illis diebus, quibus est immunis ab infirmitate, ac illud recitare potest absque gravi incommodo (l. 4. n. 154., et 155.).

66. Licet etiam horarum obligatio sit gravis, si quis

tamen ex inadvertentia, vel errore unum Officium pro alio recitaverit, non tenetur proprium illius diei Officium repetere, tum quia non praesumitur Ecclesia velle, ut quis una die bis ad tantum onus obligetur; tum quia licet materialiter praescriptum ritum non observaverit, servavit tamen illum formaliter, cum ad illum conformare se intenderit, et crediderit. Hinc neque etiam ulla ei inest obligatio subjungendi propria Officii praetermissi, nisi Officium fuerit notabiliter brevius, cum tunc fieri debeat aliqua compensatio: qua super re docet quoque Lig., nec supplendum esse altera die Officium omissum, nec prosequendum esse errorem ubi hic detectus fuerit. An vero possit unum pro alio recitari, satis rigide plerique volunt lethale semper esse permutationem Officii, ex Pio V. ajente in Const. *A nobis*, neminem, *nisi sola forma Breviarii Rom. satisfacere posse.* Contra quos satis probabiliter ex Lig. docent Bonac., Laym., Suarez, aliique, non esse grave sine causa permutationem Officii, si fiat in aequale, et cum causa nec leve: probantque ex *l. Fin. ff. mandati* ita ajente: *Forma reipsa servatur, si per aequivalens id fiat.* Quod autem Pontifex assignaverit formam specificam pro recitatione Breviarii, potius respexisse dicendum est ad quantitatem, tamquam ad formam substantialem, quam ad qualitatem Officii, quae est forma accidentalis, seu modus recitandi. Aequius tamen ex eodem Lig. dicendum, graviter peccare qui frequenter Officium mutat, etsi in aequale, quia graviter ordinem perverteret: venialiter vero, qui raró, puta ter, vel quater in anno, modo id non faciat in Of-

ficium notabiliter brevius, proscripta enim fuit ab Alex. VIII. prop., quae ajebat: *In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit praecepto.* Immo cum causa illud, etsi frequenter, mutare in aequale, vel fere aequale probabile putat Lig., quod nec grave, nec veniale esset; subdit namque, quod probabiliter excusaris a mutatione Officii 1.°, si alio pergis, in quo casu potes recitare Officium illius loci, nisi esses Religiosus, nam hi quocumque jerint tenentur ad Breviarium sui Ordinis. Ac 2.° si recites cum socio, in quo casu potes ejus ritui te conformare ex causa, ut dicunt alii; sed, ut alii sentiunt satis probabiliter, etiam sine causa, modo Officium permutetur in aequale, vel quasi; sufficit namque juxta secundam sententiam supra relatam quaelibet rationabilis causa ad mutandum Officium in aequale; satisque rationabilis causa videtur ipsa societas, ajente Christo *Matth.* 18.: *Ubi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum.*

67. Superest modo, ut quae requiruntur ad illud debite recitandum, declaremus; suntque 1.° *pronuntiatio vocalis*, cum sit de substantia praecepti. *Nullo tamen jure probatur* (ait Sylvius), *recitantem horas teneri ad se audiendum, cum praeceptum obliget ad dicendum, non ad audiendum horas.* Quodque sic recitans jam vocaliter oret, hanc rationem subdit: *Quia oratio potest ore, et voce fieri, etiamsi non audiatur ab ipso recitante.* Et sane l. 1. Reg. c. 1. dicitur: *Anna oravit ad Dominum, dicens: Domine, etc.* En oratio vocalis. Deinde additur: *Porro Anna loquebatur in corde suo; tantum labia illius moveban-*

tur, *et vox penitus non audiebatur.* Quod si dicatur cum socio, talis adhibenda est pronuntiatio, ut vicissim audiantur: in quo casu communis est sententia, bene satisfacere, qui audit a socio lectiones, capitula, Respons., Antiph., et Orationes. 2.° *pronuntiatio integra*: ob quam non excusari a mortali, docet Lig., mutilationem magnam, ac hujusmodi, ut sensus notabiliter varietur; nec satisfacere eos, qui alternatim recitando, non expectant versus absolvi, si hoc fiat in magna quantitate (l. 4. 165.). 3.° *pronuntiatio continuata.* Commune tamen est, quod Matutinum potest a Laudibus separari sine ulla causa, addendo post *Te Deum* Orationem diei cum *Pater noster*, ex Rubrica, quae praecipit dici *Pater* post quamcumque horam, quando terminatur Officium: ac probabiliter quilibet Nocturnus ab alio per intervallum trium horarum, quia ita olim fiebat; quod Salm. docent sine dubitatione (n. 167.). Facta autem interruptione, etsi magna, in eadem hora, vel psalmo, probabilius censet Lig., non esse totam horam repetendam, quia singuli Psalmi, eorumque versus completam habent significationem, et satis uniuntur vel per intentionem continuandi, vel per ipsam recitationem adjunctam: idque vacare etiam a veniali, si interruptio fuerit ex justa causa, ob quamlibet nempe utilitatem propriam, vel alienam, quae incommode differetur, ob urbanitatem, etc. (n. 168.). 4.° *ut absque justa causa non invertatur horarum ordo*: quem tamen nec etiam in Choro sub gravi obligare, docet Lig. num. 171. Justae autem causae invertendi ordinem probabiliter sunt, si inviteris ab amico ad

recitandum cum ipso; si non habeas prompte Breviarium, nec possis commode expectare; si sero venias ad Chorum, Officio jam incoepto; etc.: quod et dicendum, si in eadem hora invertatur ordo. 5.° *ut dicantur praefixo tempore*: quamvis enim ad vitandum mortale sufficiat eas recitare a media nocte usque ad alteram mediam noctem, non licet tamen absque justa causa recitationis tempus non servare; quale est pro Matutino privato cum Laudibus, ac etiam cum Officio Defunctorum die 2. Nov., hora Vesperarum, quae nempe subsequitur horam mediam inter meridiem, et occasum: pro Horis parvis tempus aurorae usque ad meridiem, licet Sexta, et Nona possit etiam dici post meridiem: pro Vesperis tandem, et Completorio tempus a meridie usque ad meridiam noctem.

63. Ad debitam denique officii recitationem requiritur attentio; eaque tam interna, quam externa. Et 1.° interna, cum ea sit de essentia orationis, utpote quae definitur: *Elevatio mentis ad Deum.* Hinc sicut Ecclesia Confessionem praecipiendo, praecipit quoque contritionem, utpote de Confessionis essentia, ita et praecipiendo orationem, attentionem quoque praecipere dicendum est. Illa autem esse potest ad verba, ad sensum, et ad Deum. *Ad Deum* nempe, ex Lig. l. 4. n. 176., cum ad illum mens elevatur, ejus Bonitatem, Justitiam, etc., ejusve Passionis Mysteria meditando, vel etiam B. V., aut SS. gesta, utpote ad Deum proximam relationem habentia. *Ad sensum*, attendendo nempe ad percipiendam intelligentiam verborum. *Ad verba* demum, attendendo ad recte illa proferenda, ne error fiat muti-

lando, transponendo, etc. Sufficit autem habere attentionem ad verba una cum intentione generali colendi Deum, ut D. Th. docet 4. *dist.* 15. *qu.* 4. *Sol.* 5., ubi ita: *Primo est attentio ad verba, quibus petimus, deinde ad petitionem ipsam . . . Et quaecumque earum attentionum adsit, non est reputanda inattenta oratio; unde etiam illi, qui non intelligunt petitionis verba, ad orationem attenti esse possunt.* Additque Lig. non requiri attentionem ad singula verba, sed sufficere moralem, et generalem, qua quis curet bene omnia dicere cum intentione orandi (n. 176.). Simul tamen cum attentione interna, de qua hactenus, externa etiam attentio adhibenda est, quae in eo consistit, ut non ponatur actio incompossibilis cum attentione interna. Ob distractiones vero tunc non satisfit, ait Lig. n. 177., cum recitans non solum voluntarie se distrahit, sed etiam plene advertit se distrahere; nam alias, licet sponte se divertat, non tamen sponte se divertit a recitatione: docens etiam, bene satisfacere, qui ponit actionem satis compatibilem cum attentione interna, ut esset ambulare, se lavare, se induere non omnino properanter, colligere herbas, flores, aut uvas, instruere focum, sternere lectum, pectere caput, respicere collem, flumen, etc. (n. 176.).

69. Dicendum quoque esset de Rubricis standi, genuflectendi, etc. Docet tamen Lig. n. 179., nullam esse culpam extra Chorum situm praescriptum omittere, licet laudabile sit illum servare; ac tantum in Choro illas obligare, etsi omissio non excedat veniale

Appendix.

De alienatione bonorum Ecclesiasticorum.

70. Brevem sermonem de alienatione bonorum Ecclesiasticorum hic instituimus, quia huic loco etiam Lig. illum assignat. Et 1.° nomine bonorum Ecclesiasticorum veniunt etiam bona Academiae, Seminarii, Hospitalis, vel Confraternitatis, quae tamen sint erecta auctoritate Episcopi: nomine vero alienationis non solum venit venditio, sed et donatio, permutatio, traditio rei in pignus, vel in hypothecam, transactio rei ab Ecclesia possessae, si pars ejus sit dimittenda, emphyteusis. Item locatio ad longum tempus, si enim res fructificet annuatim, nequit locari ultra triennium; si alternis annis, ultra sexennium; si ternis, ultra novennium. Locatio autem fructuum potest fieri usque ad vitam Beneficiarii, cum successor non teneantur stare tali locationi. Demum sumere census etiam redimibiles, cedere juribus, atque accipere pecuniam ad cambium, vel ad mutuum cum onere solvendi lucrum cessans, vel damnum emergens. Bona vero, quae alienari nequeunt, sunt res omnes immobiles, earumque jura, et actiones; mobilia quoque pretiosa, quorum valor decem aureos excedat, et quae ad triennium durare soleant, quin deteriores fiant; bibliothecae copiosae, greges, et armenta totaliter considerata; arbores, et silvae, quarum tamen incisio cum deterioratione cadit sub vetito; magna pecuniae summa, quae destinata fuerit ad emen-

dum aliquid immobile; ac denique annui redditus perpetui.

71. Horum autem omnium alienatio primum prohibita fuit a Paulo II. Extrav. *Ambitiosa*, ac dein etiam ab Urb. VIII., et a Trid. *sess.* 22. *de ref. c.* 11. sub poena excomm., et privationis ab officio, et beneficio ipso facto incurrendae Superioribus, qui non sint Episcopi, vel Abbates gaudentes jurisdictione quasi Episcopali: Episcopis vero, atque Abbatibus praedictis sub poena interdicti ab ingressu Ecclesiae; in quo si per sex menses perseveraverint, incurrant suspensionem a praesidentia, quam habent in spiritualibus, et temporalibus. Utque licite alienentur, decretum fuit, quod praeter rationabilem causam, requiratur consensus Capituli, vel majoris partis ejusdem collegialiter congregati, ac Summi Pontificis, seu S. C. Excipitur tamen juxta omnes post D. Th. 2. 2. *qu.* 120. *a.* 1. casus necessitatis, et ubi periculum sit in mora, ita ut non vacet petere, et obtinere dispensationem, quia in hujusmodi casibus lex positiva cedit juri naturali. Nec non vi *C. Terrulas* potest Episcopus licentiam dare alienandi res exigui valoris, quae tamen extent seorsim, et in locis separatis, secus namque posset totum aliquod praedium per partes modicas alienari. Quae autem sint res hujusmodi exigui valoris, Card. Petra dicit, esse res, quae non excedant valorem scutorum 44. Neapolitanorum: Card. vero de Luca scribit, quod si rei valor dicendus sit exiguus, vel magnus, decidendum est, habita ratione Ecclesiarum, et locorum, ipsorumque bonorum, cum attentâ qualitate unius loci, vel

Ecclesiae, praedium valoris 50. scutorum reputetur magnum; attenta vero qualitate alterius loci, vel Ecclesiae dicatur quid minimum, quamvis esset valoris scutorum centum. Ordinarie tamen standum doctrinae Card. de Petra, cum et multis Decl. S. C. Episc., et Regul., et a communi praxi ita explicatum fuerit Cap. *Terrulas*, ut videri potest ap. Ferr. V. *Alienatio*.

72. Advertatur demum, quod alienationem declaravit Paulus II. *in cit. Extr.* omnino irritam: sicut etiam nedum alienantes bona alicujus Beneficii, Ecclesiae vel alterius loci pii censuras, ac poenas incurrere, de quibus diximus, sed et eos, qui vel convertunt in sui ipsorum usum, vel usurpant, vel impediunt, ut percipiantur ab iis, ad quos spectant, bona, fructus, jura, etc. alicujus Beneficii, Ecclesiae, vel alterius loci pii, excommunicationem ipso facto incurrere Pontifici reservatam, reservatione tamen generali, et a qua, uti etiam ab illa, in quam incidunt ipsi alienantes, excusat ignorantia etiam vincibilis, et crassa; dicitur enim tam *in cit. Extr.* quam *in Trid.* l. cit. *praesumpserit.* Quibus addendum, quod ab excommunicatione in alienantes praedicta bona, in quam etiam incidunt qui illa accipiunt, tametsi per contractus donationis, venditionis, census, etc., potest quisque absolvere, cum sit quidem latae sententiae, sed non reservata, ex cit. Extrav. *Ambitiosa* Pauli II., et Trid. *l. cit.*

TRACTATUS III.

DE STATU SAECULARI; SEU DE OBLIGATIONIBUS EX VARIIS OFFICIIS, AC VICISSITUDINIBUS SAECULARIBUS EMERGENTIBUS.

CAPUT I.

De Judicibus, Advocatis, Referente, Secretario, Notario, et Procuratore.

73. Et quoad 1.m, cum sententia nequeat ferri, nisi in subditos, hinc 1.° requiritur in Judice jurisdictio: quam cum non habeat Judex saecularis in personas, vel causas mere Ecclesiasticas, hinc eas ad se trahendo, graviter peccat: 2.° *cognitio causae*, instituendo processum, citando, et audiendo reum, testes, etc.; nisi forte expediat aliquando, cum delicta sunt atrocia, in flagranti crimine deprehensos statim plectere, vel in criminibus exceptis communem procedendi modum mutare; quod tamen soli Judici Supremo licere, docent non pauci: 3.° *scientia sui muneris*; qua carens, et absolvi non debet, nisi facta renunciatione Officii, vel nisi firmum habeat propositum renunciandi, quia nemo potest Officium, cujus munia obire non potest, retinere, praesertim cum damno, vel periculo proximi; et si male judicet, tenetur ad damna parti laesae obvenientia, et ad litis expensas; uti etiam ad quodcumque aliud damnum sive in substantia litis, sive in majoribus expensis propter ejus culpabilem ignorantiam partibus obveniens; ut enim habetur ex c. ult. *de injur.*, et constat ex dictis ubi

de justitia, et jure: *Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem tulisti, aut haec imperitia tua, seu negligentia evenerunt, jure super his satisfacere te oportet.* Quod et magis dicendum, si consulto sententiam injustam tulerit.

74. His autem positis, tenetur Judex judicare secundum leges, nec poenas relaxare, vel minuere, nisi ex justa epikeja: *Misericordia enim Judicis* (ut D. Th. disserit) *habet locum in his, quae arbitrio Judicis relinquuntur, in quibus boni viri est, ut sit diminutivus poenarum. In his autem, quae sunt determinata secundum legem Divinam, vel humanam, non est suum Misericordiam facere, sed solum Principis, cui est plenarie potestas publica commissa* (*2. 2. qu. 67. art. 4. ad 1.*). Non debet item sine justa causa differre expeditionem causarum: quod faciens, tenetur ad damna inde partibus obvenientia, nec non ad expensas, quae ex iniqua dilatione secutae fuerint. Maxime autem tenetur nec pecuniam, nec munera a litigantibus umquam accipere, nisi forte esculenta, et poculenta, quae paucis diebus consumi possint, et nec directe, nec indirecte postulentur: *Non accipies personam, nec munera* (ita Deut. c. 16.), *quia munera excoecant oculos sapientum, et mutant verba justorum.* Cujus quoque rationem reddens Genuensis, ita praeclare scribit: *Di qui è, che Astrea si dipinge cieca, poichè ha a sentir le voci, non vedere i volti; e le voci della natura, non dell'arte. Or i doni fan subito riguardare al volto del donatore, e mostrarlo più bello, e più grazioso: laddove colui, che non ha potuto, o voluto donare, comincia a parer deforme,*

e nojoso (*Diceosina*). *Diximus nisi forte esculenta, et poculenta, quae etc.*; tum quia l. *Solet* §. *Non vero ff. de off. Proc.* dicitur, nomine munerum non venire *Xenia*, idest munera parva; tum quia c. *Statutum* §. *Insuper de Rescript. in* 6. Bonif. VIII. sic ait: *Insuper, ut gratis Judicium procedat, nullum munus (nisi forsan esculentum, et poculentum mera liberalitate oblatum, quod paucis consumi possit diebus, vel nisi ipsum propter causam sibi commissam contigerit extra suum domicilium proficisci, moderatas expensas) recipere ab iisdem partibus qualitercumque praesumat*: tum quia supponi nequit, Judicem ob tenue donum injustam sententiam laturum. Laudabilius tamen est, si nihil prorsus accipiat. Episcopus autem, dum Dioecesim visitat, vel Ecclesiam consecraturus proficiscitur, potest expensas tantum victus moderatas accipere: qua super re videatur quod diximus l. 2. n. 162.

75. Quaestio tamen fit, an acceptis a Judice muneribus, teneatur ad illorum restitutionem? Ad quod respondetur, quod si illa acceperit ob ferendam sententiam, quam ex justitia tenebatur ferre, nolens secus facere quod justum erat; sicut etiam si illi data fuerint ad redimendam vexationem, ne injuste scilicet parti adversae favisset, vel causam nimis distulisset; certe, ac procul omni dubio ad illorum restitutionem tenetur; idque etsi illa acceperit, non ab una ex partibus, sed ab extraneo, puta illius amico, familiari, etc., ex dictis l. 2. n. 262. Si vero illi fuerint sponte oblata, ac praevia ipsius expressa protestatione, facturum se fore absque mune-

ribus, quod ex justitia fuerat faciendum, etsi certe pec caverit ob leges id severe prohibentes, negant tamen Lugo, Lessius, D. Antoninus, aliique, quorum sententiam vocat Lig. aeque, ac satis probabilem, ac contrariam, ipsum teneri ad restitutionem, nisi lex exprimat, quod non tantum illicita, sed etiam invalida sit acceptio; quippe quod restitutio isthaec non debetur nec de jure naturali, nec de jure positivo, cum leges, quae in contrarium afferuntur, vel intelligendae sint pro foro tantum externo, vel de restitutione in poenam criminis, pro qua semper requiritur sententia, etsi non inflictiva poenae, saltem declaratoria criminis (l. 4. n. 216.).

76. Quomodo autem gerere se debeat in judicando, respondent DD., quod in causis civilibus, cujuscumque generis sint, sicut etiam in causis criminalibus minoribus, ubi tantum agatur de poenis pecuniariis, judicare semper debet secundum allegata, et probata; ut persona enim publica, judicare debet ex notitia officialiter acquisita. Et quidem si agatur de re adjudicanda, et haec a nemine possideatur, adjudicare eam debet illi, cui majus rationum pondus suffragatur, ex dictis etiam l. 1. n. 24.; et in pari probabilitate pro utraque parte eam utrique dividere, cum enim non sit rerum dominus, sed distributor juxta jura partium, hinc si jura sint aequalia, aequaliter inter eas rem dividere debet. Excipitur tantum, si agatur de causis matrimonii, dotis, viduae, pupilli, ac de causis piis, nam tunc pro iis judicandum esse, cum jura sunt aequalia, etiamsi sint actores, constat ex c. *fin. de sent.*, *et re jud.* Si vero res

possideatur ab una ex partibus, numquam judicare debet adversus legitimum ejus possessorem, nisi ex certitudine, ex dictis etiam l. 1. n. 19. In criminalibus autem, maxime capitalibus, tam in pari causa, quam si pro reo stet opinio minus probabilis, omnino judicandum est pro reo; quia nemo condemnandus est, nisi constet de suo crimine, ex l. *Si absentem ff. de Poenis, et l. sciant. c. de Prob.*, ubi ad proferendam sententiam sanguinis dicitur, quod probationes debent esse luce clariores.

77. Hic tamen quaeritur, an Judex ex privata scientia certo sciens innocentem, qui secundum allegata, et probata reus exurgit, possit nihilominus eum capite plectere? Ad quod communius DD. respondent, quod cum sit intrinsece malum capite damnare innocentem, juxta illud Ex.: *Insontem, et justum non occides, nec in judicio plurimorum acquiesces sententiae, ut a vero devies* (23.); cumque Respublica numquam potuerit Judici communicare auctoritatem hujuscemodi, quippe quam nec ipsa habet, ac proinde Judex illum morti damnando, idem ageret, ac si quis alterum sine auctoritate occideret; hinc Judex in casu proposito debet primum acta, et testimonia exactiori examini subjicere, ac super circumstantiis loci, ac temporis iterum testes interrogare, ut tandem pugnantia loquantur, prout egit Daniel cum Susannae calumniatoribus: deinde inquirere, si id frustra egerit, an cujusdam exceptionis ope repellere possit actionem, vel accusationem: quibus mediis etiam frustra adhibitis, tenetur vel efficere, ut reus e carcere aufugiat, vel caussam ad Superiorem remittere, cum-

que de accusati innocentia etiam jurejurando certiorem facere: ac demum potius duriora quaeque, ipsamque mortem pati, quam eum morti addicere. Et sane sicut Judex privata scientia certus, Annam non esse uxorem Petri, nequit sententiam ferre, qua Petrus ad ipsam accedere teneatur, licet in judicio Anna probata fuerit uxor Petri, utpote id intrinsece malum: ita et privata scientia certus, innocentem esse, qui in judicio secundum allegata, et probata reus emerserit, nequit sententiam ferre, quod capite plectatur, cum et istud sit intrinsece malum. Ratio autem, cur in causis civilibus, sicut etiam in causis criminalibus minoribus judicare semper potest, et debet secundum allegata, et probata, secus vero in causis criminalibus, de quibus hic sermo, ubi certo sciat privata scientia, illum, qui accusatur, ut reus, esse innocentem, est, quia Respublica altum habet dominium in bonis subditorum, vi cujus potest de illis disponere, quando bonum publicum id requirit ad pacem, et tranquillitatem Regni, et ne judiciorum publicorum forma cum populi scandalo evertatur; nullum tamen dominium habet vitae, et corporis subditorum; ex quo sequitur, quod numquam potest directe innocentem occidere.

78. Inquisitionem denique specialem de certo crimine, ejusque auctore instituere nequit, nisi praecedat infamia, semiprobatio, vel quid simile, exceptis tamen aliquibus criminibus gravioribus, in quibus ita exigat Reipublicae bonum, ex *c.* 21, *et* 23. *de accus.*, quia per illam inquisitionem suspectus quis, et infamis redderetur: nec unquam procedere ad reum

torquendum, nisi ob grave crimen, cujus talia habeantur indicia, ut semiplenam probationem faciant, idest reddant crimen plus quam probabile; exceptisque semper personis nobilibus, in dignitate constitutis, impuberibus, senibus, aliisque similiter debilibus. Semel autem tortus, si nihil est fassus, iterum torqueri nequit; nisi nova criminis indicia superveniant, quia per torturam priora elisit. Si vero crimen in tortura confessus fuerit, confessio vim non habet, nisi etiam ratam habeat extra torturam, maneatque in ea usque ad sequentem diem. Quod si tertio tortus, ac confessus, confessionem tertio retractet extra quaestionem, absolvendus est, quia praesumitur, confessionem vi tormentorum fuisse coactam.

79. Atque haec satis dicta sint de Judicibus; a quibus modo ad Advocatos progredientes, et hi primum habere debent sub gravi, et sub onere restituendi tam damna, quam expensas parti laesae, scientiam sui muneris: nec non sub gravi, et sub eodem onere tueri numquam possunt caussam, quam cognoscant esse injustam; bene tamen in civilibus, et ubi res a neutra parte possideatur, caussam minus probabilem, monita parte de ejus minori probabilitate, non enim semper est verius, quod videtur probabilius. Diximus *in civilibus*, *et ubi res a neutra parte possideatur*: in causa enim criminali dubia non licet tueri partes actoris, quia in tali casu et ipse, et Advocatus graviter peccarent contra reum: sicut etiam quando actor contra possessorem agens, scit se nihil posse evincere, sed rem mansuram semper dubiam; quia tunc possessor injuste vexaretur, et pro eo Judex de-

beret demum judicare. Pro suis autem laboribus accipere Advocatus potest vel quod a lege sit praescriptum; vel si non sit praescriptum, id quod a prudentibus aestimatur respective ad gravitatem, et difficultatem caussae, ad scientiam, et dignitatem ipsius, ac demum juxta usum Regionis: ultra quod notabiliter aliud accipiens, et peccaret, et restituere teneretur. Nequit demum Advocatus vel utrique parti patrocinari; vel in eadem caussa, in qua est Judex, vel Assessor, advocatum agere, cum utrumque repugnet: sicut etiam numquam vel nimiis dilationibus, illicitisque testium subornationibus notabiliter officere parti adversae habenti alias justam causam; vel suo Clienti officere, ejus rationes, ac secreta causae parti adversae detegendo, ob quod si cliens caussam perdat, alias victurus, tenetur quoque ad restitutionem damni, quod illi intulerit.

80. Pauca nunc de Referente, Secretario, Notario, et Procuratore. Et 1.° peccat Referens, si defectu studii, vel per incuriam male referat, vel aliquid substantiale praetermittat: 2.° si sit partialis, ob quod conetur magis unius partis justitiam, quam alterius, explicare: 3.° si sententiam alterutri parti manifestet, priusquam evulgetur, unde possint gravia incommoda sequi, vel Judex recusari. Peccat Secretarius 1.° si juramentum violet: 2.° si arcanum prodat: 3.° si sententiam nondum publicatam manifestet; 4.° si processus, aut sententias non custodiat, vel partibus sine praescripto Judicis ostendat: 5.° si testimonia fideliter non transcribat. Peccat Notarius 1.° si absque sufficienti peritia Officium suscipiat: 2.° si juramentum violet: 3.° si

in depositione testium aliquid addat, vel detrahat non levis momenti: 4.° si protocolla, et acta negligenter custodiat cum damno partium: 5.° si differat caussarum expeditionem, ut pecuniam extorqueat: 6.° si testamentum scribat hominis rationis usu destituti: 7.° si falsos testes admittat: 7.° si necessarias solemnitates ex culpabili ignorantia, vel ex malitia praetermittat: 8.° si conficiat instrumentum usurarium, vel falsum: 9.° si faciat, ut processus, et caussae ad alios Judices ferantur, quam Ordo illius Tribunalis postulet: 10.° si secretum violet: 11.° si parti petenti instrumenta occultet. Procurator peccat: 1.° si litem procuret injustam: 2.° si plures caussas suscipiat, quam possit expedire: 3.° si suadeat reo, vel parti, ut injuste veritatem neget: 4.° si ejus vel incuria, vel negligentia, vel alia culpa lis perdatur: 5.° si partes adducat ad concordiam iniquam: 6.° si differat caussam, vel pervertat Judicem, vel petat terminos impertinentes, aut dilationes superfluas: de quibus dilationibus superfluis generatim dictum esto, quod et eos, de quibus diximus, et quemvis alium ex officio ad justitiam administrandam obligatum culpa, et onere restitutionis gravant, si ex favore, aut malitia, aut negligentia oriantur, et grave partibus damnum afferant.

CAPUT II.

De accusatore, testibus, reo; nec non de Medicis, et Pharmacopolis.

81. Accusator dicitur is, *qui crimen defert Judici ad vindictam cum obligatione crimen probandi.* Simul autem cum accusatore complectimur etiam quod ad denunciatorem pertinet; qui definitur *is, qui crimen defert Judici, sive ad rei emendationem, sive ad ejus punitionem, sine obligatione tamen illud probandi*: qui proinde, licet non sint unum, idemque, sunt tamen inter se valde affines. Distinguitur itaque denunciatio in eam, quae fit ad rei emendationem; et dicitur *paterna*, seu *Evangelica*: et in eam, quae fit ad rei punitionem; et dicitur *Juridica*, seu *Judicialis*: ac utraque ab accusatione praesertim differt, quia non praesefert obligationem probandi crimen, quam semper praesefert accusatio, ad quam proinde requiritur 1.°, ut fiat in scriptis: 2.° ut in accusatione exprimatur nomen accusatoris, et rei: 3.°, ut exprimatur species delicti, et etiam nomen socii, si crimen fuerit adulterii, sodomiae, et similis: 4.°, ut exprimatur tempus, et locus delicti: 5.° ut accusator accusationem subscribat, ut sic maneat obligatus ad crimen probandum, vel poenam subeundam. Non igitur requirit denunciatio, ut fiat in scriptis; quod praecise notandum cum Lig. l. 4. n. 235.

82. Quid modo scitu circa utramque necessarium sit, videamus. Et 1.° quoad denunciationem pater-

nam, si reus sit certo emendatus, nec sit in relabendi periculo, fieri non debet, cum ejus finis adaequate cesset. Secus fieri potest, ipsa secreta correptione omissa, si crimen vergat in damnum commune, vel etiam alicujus privati; sicut etiam in Religionibus bene institutis, utpote in quibus Praelati sunt viri pii, et prudentes, qui et correptione magis prodesse, et occasiones relapsus amovere possunt. Qua super re addit Lig. l. 4. n. 245., quod vel peccatum Religiosi est leve; et tunc cum infamatio quoque sit levis, major plerumque utilitas ex denunciatione proveniet, quam sit damnum fratris. Vel crimen fratris est grave; et tunc aut frater peccavit ex fragilitate, et provide occurret Superior occasiones auferendo, quod privatus praestare nequit: aut ex malitia, et tunc rarissime ex correptione fratris emendatio habebitur, ac potius reus finget se emendatum, quam emendetur. Ad quod accedit, quod fratre non emendato ex secreta correptione, non posset amplius crimen Superiori deferri, quin reus suspicaretur de denunciationis auctore, ac odium erga illum conciperet. Ob quod proinde, denunciatione omissa, non amplius reus emendaretur cum maximo Religionis damno, et fratrum scandalo.

83. Facta autem denunciatione paterna, sicut etiam si Praelatus ipse per se noverit subditi delictum per sufficientia indicia; 1.° poterit eum clam monere; secretam quoque poenitentiam ei injungendo, eumque etiam ab Officio, ac Conventu amovendo, modo ex hoc nulla ei obveniat infamia: deinde poterit ad alia etiam remedia devenire: sed, licet ista nec etiam

profuerint, et crimen vergat in damnum solius rei, non poterit judicialiter procedere, nisi crimen probari possit saltem per duos testes, juxta Ap. ad Tim.: *Adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus* (ep. 1. c. 5.). Qua super re advertit quoque Lig., quod nequit cogere Denunciatores Evangelicos, ut faciant denunciationem Judicialem, et inde juxta illam reum poenis juris punire, quia tunc delinquens adhuc possidet famam; nec punitio est necessaria ad bonum commune; quando crimen non est publicum. Advertit quoque, quod cum crimen est occultum, etiamsi probari possit per duos testes, nemo tenetur post publicum etiam edictum, seu monitorium praecipiens omnibus illud denuntiare, ad illud denuntiandum, modo non vergat in damnum communitatis, aut tertii: cum hac tamen differentia, quod in criminibus in damnum tertii tenemur fraternam correptionem praemittere, qua obtenta, denunciatio judicialis est omittenda; si vero reus non corrigatur, tenemur eum judicialiter denuntiare, dummodo possimus absque gravi nostro incommodo. In criminibus autem in damnum commune, nulla praevia correptione, et etiam cum gravi nostro damno, ad denunciationem judicialem tenemur; quamvis enim excipiat D. Th. 2. 2. q. 33. n. 2., *nisi forte aliquis firmiter existimaret, quod statim per secretam monitionem possit mala impedire*, hoc tamen, ait Lig. raro accidit (l. 4. n. 246., et sequ.).

84. Inter crimina autem, quae in damnum commune vergunt, maximum omnium est haeresis: quare ab haereticis formalibus denunciandis non excusat nec

periculum gravis damni, nec ulla sanguinis conjunctio, cum etiam filii teneantur parentes denunciare, uxoresque viros suos. Ita idem Lig., qui solum excusat a denunciandis suspectis de haeresi, ut sunt sortilegi, blasphemi, Confessarii sollicitantes, abutentes Sacramentis, etc., conjunctos usque ad quartum gradum; a quibus denunciandis excusat etiam gravis damni periculum (n. 249., et sequ.). At advertendum, quod ut adsit obligatio denunciandi haereticos quoque ipsos formales, requiritur, ut reus sit haereticus proprius, et pertinax, non vero si per ignorantiam, metum, incuriam, lapsum linguae errorem protulerit, de quo, si secreto corrigatur, sine dubio censeatur abjuraturus. Sicut etiam, neminem teneri ad denunciandos socios sui criminis, cum hoc esset idem, ac seipsum denunciare; ad quod nemo tenetur. Si quis tamen de crimine legitime a Judice interrogetur, tenetur tam se, quam socios manifestare; ut infra dicetur.

85. Sequuntur testes: circa quos scitu magis necessaria sunt 1.°, quot requirantur ad plenam probationem. 2.° quando tenentur Judici veritatem fateri. 3.° quotupliciter peccare possint, et restitutionis onus subire. Et quoad 1., duos sufficere ad plenam in judicio probationem in causa tam civili, quam criminali, commune est apud DD., et constat tum ex Deut. 17., ubi dicitur: *In ore duorum vel trium testium peribit, qui interficietur*: tum ex Jo. 8., ubi dicitur: *Duorum hominum testimonium verum est.* Modo tamen 1.° asserant, externo sensu percepisse id de quo testantur, et quidem eo sensu, quo res

percipienda erat, ut ipsi scilicet viderint occidentem, audierint blasphemantem, etc. 2.° ut sint contestes, ita ut conveniant non solum in substantia actus, sed etiam in principalibus circumstantiis, idest persona, loco, tempore, modo. 3.°, ut deponant cum juramento, alias non probant ex *c. Tuis qu.* 39. *de test.*, ubi ait Panormit.: *Nec Episcopo quidem, ut testi, credi in alterius praejudicium, nisi jurato.* 3.°, ut sint omni exceptione majores: quare excluduntur a testando 1.° Servi. 2.° Mulieres de jure canonico ex *c.* 33. *q.* 5., non tamen de jure civili tam in causis civilibus, quam in criminalibus; in quibus tamen ad reum damnandum nec plures etiam mulieres sufficiunt. 3.° Minores 20. annis in criminalibus, et in civilibus impuberes. 4.° Inimici. 5.° Sanguine conjuncti usque ad 4. gradum, et domestici. 6.° Infames. 7.° Perjuri. 8.° Socii criminis. 9.° Personae inopes, et viles. 10.° Deliri, et semifatui. Clerici tandem, ac Religiosi possunt quidem testari contra Laicos, non possunt tamen ad id compelli a Judice saeculari, ex cap. *Quamquam* 14. *q.* 2.: ex quo etiam deducitur, non posse Clericum testari coram Judice saeculari sine licentia sui Superioris. Nullibi tamen interdicitur tam Clericis quam Religiosis testes esse in instrumentis, ut Lig. advertit n. 261.

86. Unicum tamen testem quandoque etiam sufficere; et aliquando requiri plus quam duos testes ad plenam probationem, commune est apud DD. Sufficit namque testimonium unius ad impediendum Matrimonium illegitimum, ex *c. Praeterea* 2. *De Sponsal.* Debet tamen jurare, se impedimentum certo sci-

re; nec sufficit, si testis sit de solo auditu, nisi impedimentum sit consanguinitatis, et adsit alius testis de certa scientia, licet hic deponat sine juramento. Testimonium quoque solius Episcopi sufficit ad probandum in judicialibus ad munus suum pertinentibus, modo testetur Scriptura suo sigillo obsignata: Credendum quoque est perito in sua arte, ut Medico ex. gr. testanti mortem aliquam naturalem fuisse. Unicus quoque testis probat, quando agitur de laesione minoris; aut in Testamento, quando testator voluit, ut alicui personae fides haberetur. Ac demum unicus quoque testis probat miraculum. Requiruntur vero aliquando plus quam duo testes ad plenam probationem, nam ad Testamenta, ut suo loco diximus, requiruntur septem testes; ad condemnandum Episcopum requiruntur 12. testes: et ad condemnandum Sacerdotem, seu Clericum requiruntur saltem plusquam duo.

87. Quoad 2., tunc testis tenetur Judici veritatem fateri, cum ab eo legitime interrogatur: ac legitime illum Judex interrogat, cum criminis adsunt vel semiplena probatio, vel infamia, vel indicia evidentia, vel demum accusator se offert ad delictum pluribus testibus probandum, omnia enim haec aequivalent semiplenae probationi: qua interveniente, ac testi a Judice manifestata, Judex habet jus, ut testis veritatem manifestet. Aliquando tamen, etsi Judex legitime interroget, non tenetur testis veritatem illi detegere: 1.° si sciat rem ex Confessione Sacramentali: 2.° si eam acceperit sub secreto vel naturali, vel commisso, quia praeceptum naturale praeferendum est

praecepto Judicis; nisi tamen immineat grave damnum vel Reipublicae, vel innocenti, quod aliunde averti non possit: 3.° si testari nequeat sine gravi suo, vel suorum damno, nisi praevaleat malum alienum, vel publicum: 4.° si rem acceperit a viris fide non dignis, vel injusto modo noverit, ut aperiendo literas, cogendo alium ad revelandum, etc.: 5.° si sciat eum, de quo inquiritur, nullatenus peccasse ob ignorantiam, vel aliam causam; quia mens Judicis est inquirere de delicto.

88. Quoad 3., peccat testis, et ad restitutionem tenetur, si sciens falsum testatus sit, per quod alteri fuerit causa efficax damni: nec non revocare se tenetur cum pari suo damno, et periculo etiam vitae, si de hac reus periclitetur, et putetur revocando aliquid effecturus; quia in damno aequali potius habenda est ratio innocentis. Diximus *sciens*: si enim ex ignorantia, inadvertentia, vel oblivione inculpabili falsum testatus fuerit, tenetur quidem impedire, si possit, damnum inde exortum, non tamen tenetur ad restitutionem, etsi reus damnetur, cum defuerit culpa, ex dictis l. 2. n. 235. Diximus quoque *causa efficax*: nam si a parte rei ejus falsum testimonium nihil effecerit, propterea quod per falsa testimonia aliorum jam data fuerat tota damni causa, ad nihil tenetur. Peccat quoque testis, et ad restitutionem tenetur, si affirmet, quod ignorat; si veritatem, quam debebat celare, aperiat; si pretium pro testanda veritate accipiat. Peccat tamen, sed ad restitutionem non tenetur, nec si se abscondat, ne citetur a Judice; nec si fugiat post citationem; nec

si legitime interrogatus veritatem occultet: nam in primo casu tantum peccare potest contra charitatem; in secundo vero, et tertio peccat tantum contra obedientiam, sique ei praebeatur juramentum, etiam contra Religionem, numquam tamen contra justitiam commutativam, ex cujus dumtaxat laesione contrahitur obligatio restituendi, ex dictis l. 2. n. 233.

89. Depositione demum facta, debet haec denuo ante testem legi, et ab eo ratificari, et in ratificatione notandum est, quod a teste additur, vel mutatur; et in fine Secretarius scribere debet: *Quae omnia affirmavit verissima esse juramento, quod praestitit. Et cum omnia, quae deposuit, lecta ei fuissent de verbo ad verbum, illa ratificavit, ac propria manu subscripsit.* Et in fine depositionis cujuslibet testis Judex, testis, et secretarius se subscribere debent. Quod si testis scribere nesciat, signet crucem, et alius pro ipso subscribat, et Secretarius ibidem hoc notet. Ac sic ratificata depositione, nulla amplius habenda est ratio de iis, quae testis aliter postea dicat, etiam in articulo mortis: sed solum facta rei citatione vel oretenus, vel per ipsius incarcerationem, vel per edictum, si reus fugerit, ac lite sic contestata, iterum repetendi sunt testes cum juramento, nisi defuncti sint, vel Judex procedat ex officio, et non ad istantiam partis (Lig. l. 4. n. 271.).

90. Quoad reum vero potiora ad sciendum sunt: 1.° quando teneatur crimen fateri: 2.° an possit revelare ad sui defensionem crimen occultum accusatoris, vel testium: 3.° an ei liceat poenam fugere. Et quoad 1.^{m}, non teneri ad fatendum crimen, nisi ei

constet, quod a Judice legitime de eo interrogatur, communis est DD. sententia cum D. Th. 2. 2. *qu.* 69. *a.* 1.; nisi enim hoc ei constet, neque etiam ei constat Judicis jus ad interrogandum. Jus autem, et obligatio sunt correlata: Neque igitur ei constat, quod teneatur Judici crimen fateri. Porro Judex legitime illum interrogat, cum praecesserint criminis vel semiplena probatio, vel infamia, vel manifesta indicia. Hinc nec tenetur complices detegere, nisi de iis legitime interrogetur; de quibus legitime interrogatur a Judice, 1.° si de iis praecesserint vel semiplena probatio, aut infamia, aut indicia sufficientia: 2.° si ejus crimen fieri non poterat sine complicibus: 3.° si crimen sit communitati, aut alicui innocenti valde noxium, nec aliter impediri possit.

91. Acris tamen quaestio hic fit; an scilicet cum legitime interrogatur, teneatur crimen fateri, etiam cum ipsius vitae periculo? Satis quidem probabiliter ex Lig., l. 4. n. 174., docent Bus., Suar., Lugo, etc., quod non teneatur, casu quo damnandus foret ad mortem, aut ad triremes, aut ad carcerem perpetuum, vel ad amissionem omnium bonorum, vel totius famae, et honoris: tum quia lex humana communiter non obligat cum tanto onere: tum quia inhumanum videtur, ut qui convinci non potest, teneatur praebere arma contra seipsum, quibus occidatur, aut gravem poenam subeat: tum quia non videtur tam heroicus actus praecipi posse. Juxta quorum sententiam excipiendum tamen est cum eod. Lig., nisi commune damnum immineat ex reticentia delicti, puta haeresis, laesae Majestatis, etc.: tunc enim reus tenetur seipsum prodere, vel saltem socios, quantum opus

est ad commune damnum avertendum, etiamsi ipsi mors immineat ex revelatione sociorum, ex quibus evadet in judicio convictus. Probabilius tamen et absolute dicendum est, teneri, ut cum D. Th. ipse B. Auctor docet: indubium namque est ex una parte, quod lex humana obligare possit, et obliget cum ipsius vitae periculo, quando ita expedit ad bonum commune, ex dictis l. 1. n. 87.; ac nemo est, qui non videat, ad bonum commune expedire, quod delicta, servata judicii forma, puniantur. Ex altera vero ob crimen patratum amisit reus ad vitam, et libertatem jus, quod habebat, si enim illud retineret, non esset reus; ac proinde dum ipse nullum habet jus propriam vitam, ac libertatem defendendi, Judex habet jus cum ipsius etiam vitae, ac libertatis periculo illum interrogandi. Accedit, quod jus in Judice ad interrogandum reum, exigendamque ab eo veritatem, et obligatio in reo ad illam clare detegendam sunt duo correlativa, quorum unum sine alio esse nequit. Ipsi autem oppositae sententiae patroni fatentur, quod Judex in casu proposito habet jus interrogandi, et exigendi a reo veritatem ob bonum publicum: ergo et coguntur fateri, quod reus tenetur detegere Judici veritatem, nisi sibi ipsis velint contradicere. Ex dictis tamen l. 2. n. 62., utque docet idem Lig., si reus sit in bona fide, et censeatur, quod difficile inducetur ad fatendum crimen interrogatus a Judice, Confessarius in sua bona fide eum relinquere debet.

92. Quoad 2., licet reus nequeat ad sui defensionem alteri falsum crimen imponere, ut ajebat prop. damnata ab Innoc. XI., cum gravia mendacia in ju-

dicio proferre et sit contra bonum commune, et pervertat omnem justitiae ordinem: bene tamen potest ad sui defensionem opponere crimen verum, sed occultum, accusatoris, vel testium, dummodo hoc sit absolute necessarium ad sui defensionem, et modo alias non leve, sed grave damnum passurus esset, etsi majus damnum eveniat accusatori, vel testi; nemo enim tenetur, ut Lig. disserit l. 4. n. 277., cum suo gravi damno proximi famam servare. Immo addit, quod etiamsi commiserit crimen, sed occulte, ita ut nullo modo probari possit, probabiliter potest et opponere crimen occultum accusatoris, et dicere illum mentitum fuisse: quia accusans reum de crimine omnino occulto censetur in jure, ac si de crimine falso eum accusaret, ex Glossa in C. *cum dilectus de calum.*, ubi ita: *Si renuncians non probat, quod intendit, calumniari praesumitur.*

93. Quoad 3., quamvis reo non liceat, sive juste, sive injuste damnatus fuerit, vim vi repellere, occidendo, vulnerando, etc., ut diximus l. 2. n. 179., confirmatumque fuit ab Alex. VII. damnando propositionem, quae ajebat: *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, a quo iniqua certe imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare*: quia cum facile rei persuadere sibi possent injuste esse damnatos, hinc si eis occidere in hoc casu permitteretur, quot homicidia cum communi damno acciderent? Quamvis etiam illicitum ei sit, custodem carceris pecuniis corrumpere, quia illum induceret ad peccandum contra suum officium, ac proinde ad aliquod intrinsece malum: om-

nes tamen conveniunt, quod bene ei licet, quamvis vere sit reus, et ante, et post sententiam tum a militibus fugere, qui eum insequantur; tum fugere e carcere, etiamsi custos carceris grave inde damnum passurus sit: quia ex una parte non conjicitur in carcerem, ut ibi maneat, sed ut ibi detineatur; et ex alia ipse utitur jure suo, ac proinde imputari ei nequit damnum, quod carceris custodi inde obvenit. Hinc etiam potest et vincula rumpere, et carcerem effringere, quia cui licitus est finis, licita etiam sunt media. Quamvis autem possit e carcere fugere, si tamen juste damnatus fuerit etsi ad mortem, non tenetur fugere, cum possit, et fugiendi occasio ei offeratur: quia etsi non possit facere actum immediate tendentem ad mortem, ut sua mutilare membra, e furca se dejicere, venenum potare, etc., licent tamen ei actus mediati, ut scalam ascendere, extendere collum, et sic etiam in carcere manere; idque maxime, si justum finem habeat, ut crimini scilicet satisfaciat, utque ejus punitio aliis ad exemplum prosit.

94. Confessarius demum alicujus rei confessionem auditurus, intimet illi, quod sive sit nocens, sive innocens, illi nec prodesse, nec obesse poterit: alias vel ob timorem, ne Confessarius conferat cum Judicibus, vel ob spem, quod juvetur a Confessario, conabitur apud ipsum falso se probare innocentem. Expediet etiam proinde, ut ad Confessionem Sacramentalem illum non admittat, nisi postquam in foro profano res fuerint liquidae; alias difficulter quoque deteget sua crimina, ac sacrilege confitebitur. Hinc etiam si rei innocentiam ex confessione agnoverit, neque etiam

expedit, pro reo apud Judicem intercedere; tum quia ei fides denegabitur; tum quia indirecte forsan aliorum, pro quibus non intercedit, crimina revelabit, vel saltem Judici novam suspicionis causam injiciet; tum quia si rei cognoscant, eum pro innocentibus intercedere, occasionem arripient ei callide sua facinora celandi.

95. Pauca tandem de Medicis, et Pharmacopolis. Et 1.° quoad Medicos consulantur, quae de iis diximus l. 1. n. 24.; nec non l. 2. n. 140. Quibus addimus, graviter peccare, 1.° si absque sufficienti proprii muneris scientia munus medendi exerceant; et quidem tot griminibus gravari, quot medendos suscipiunt. 2.° si agnito aegroti periculo, opportune non adsint: 3.° si necessariam curationem negligant, aut alios medicos adhiberi non permittant: 4.° si facile, et sine vera necessitate a jejunio absolvant, vel esum carnium permittant, vel ab auditione Sacri exonerent: 5.° si aegrotantem pauperem in periculo constitutum contemnant. Pharmacopola autem peccat 1.°, si rudis, et ignarus munus exerceat. 2.° si absque debita diligentia medicamenta conficiat. 3.° si unum medicamentum pro alio, nisi esset aeque bonum, nec minoris pretii, contra Medici praescriptum cum gravis damni periculo porrigat. 4.° si medicamenta ad non pariendum, vel ad foetum expellendum vendat; idque etiamsi reipsa apta non sint effectui producendo; tum ob scandalum, quod dat petenti; tum quia phantasiam mulierum, a qua produci solet abortus, fovent; tum quia poenis civilibus, si crimen probetur, se exponit. 5.° si vendat pharmaca inutilia, etc.

Finis secundi tomi.

Pag.	v.	ERRATA.	CORRIGE.
8	30	istante	stante
10	29	superraddere	superaddere
13	17	aliquantis per	aliquantisper
16	9	extrinsecam	extrinsecum
18	14	Auxiliari tamen	Auxiliari tandem
42	7	si vim si	si vim vi
121	29	Martiri	Mariti
170	18	artus	actus
171	27	decit	decet
231	2	Dominio	Domino
314	21	mentionem	mentione
334	26	*eum*	*cum*